AZ.
III
I

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVIII
B
29
NAPOLI

CHRISTIANI THOMASII
IVRISCONS. HALENS.

LECTIONES DE PRVDENTIA LEGISLATORIA,

CVM
PRAEFATIONE
GOTTLIEB STOLLII,
PROF. POLIT.
IN ACADEM. IEN.

7

B R

FRANCOFVRT. ET LIPSIAE
M DCC XXXX.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

PRAEFATIO.

Fortiſſimus Libertatis philoſophandi Reſtaurator, Chriſtianus Thomaſius, multa reliquit, adfecta quidem magis quam perfecta, ita tamen comparata, ut typis exſcribi utique mereantur, cum varia iis in-

ſint, quæ ingeniis perſpicacibus occaſionem præbere poſſint, ſalutaria Sapientiæ & Prudentiæ introſpiciendi conſilia. Hisce adnumero præſens, quod, ex hæredis præcipui conſenſu, in lucem jam prodit Collegium de Prudentia Legislatoria. Auſpicatus eſt huncce laborem Auctor illuſtris d. 22. Maji an. 1702. eumque ad finem perdu-

duxit d. 7. Octobris ejuſdem anni. Anguſtia temporis haud permiſit, ut omnia accurate & ſatis ample elaborarentur. Hinc in animum ſuum induxerat Auctor, peculiaribus ſcriptis rem curatius atque diductius exponere. Unde prodierunt primæ lineæ Prudentiæ Conſultatoriæ & quæ de Natura legis tam divinæ quam humanæ pri-

mum obſervationibus ſele-
ctis ad rem literariam ſpe-
ctantibus inſeruit, & poſt-
ea in Fundamentis ſuis
Iuris Naturæ & Gentium
emaculatius tradidit. Cæ-
tera, quæ ad Hiſtoriam hu-
jus Collegii faciunt, ſuppe-
ditabunt der II. Theil Aus-
erleſner Thomaſ. Schrifften
p. 307. ſqq. u. 340. ſqq. Pro-
gramma von den Winterlecti-
onen 1702. p. 22. Præfatio pri-
mæ

mæ editioni der Pudentia Conſultatoria præmiſſa an. 1705. & Programmata Thomaſiana num. XXVIII. p. 583 ſq. Unicum adhuc addo, me quamvis in multis imo pleriſque Auctoris cogitata approbem, in quibusdam tamen ab eo diſſentire docebunt hoc, quas molior, in huncce libellum Annotationes aliquando forte in lucem prodituræ. In eo

tamen

tamen omni ſtudio laboravi, ut omnia heic typis expreſſa cum avtographo Celeberrimi Viri exacte conveniant, non enim meum eſt hoc, quod tibi, benevole lector trado, Collegium, ſed Germaniæ Socratis, hoc eſt, beati Chriſtiani Thomaſii. Dab. Jenæ inter multos labores d. 22. April. 1740.

Gottlieb Stolle.

CAP. I.
De Utilitate hujus Collegii.

§. I.

Quia tres prudentiæ, Legislatoria, Conſultatoria & Judicalis ita ſunt connexæ, ut una ſine altera frigeat, incipiendum quidem eſt a judiciali tanquam faciliori, ſed habent tamen reliquæ duæ ſuas ſpeciales regulas.

§. 2. Quia Prudentia Judicialis nititur potiſſimum legibus. Unde ſi non intelligamus accurate, quænam ad Leges ipſas pertineant, vana ſunt omnia, quæ erroribus ejusmodi ſuperſtruuntur.

§. 3. Quia quæ de LL. in genere diſſeruimus in Inſtit. Jurispr. div. multa emendatione opus habent, quæque commodius in hoc collegio, quam in lectionibus ſuper Inſtit. Jurispr. div. expediri poſſunt.

§. 4. Quia officium Judicis quidem & Advocati eſt applicare LL. ſed hæc applicatio præſupponit intellectum & interpretationem: Ad intellectum autem potiſſimum pertinet, an lex etiam ſit rationalis, i. e. juſta & reipublicæ utilis, de quo diſſerere uti

Profeſſorum eſt, ita diſcere & ſtudiorum juris eſt. Non poterit autem id intelligi, ſi non intelligantur Regulæ Prudentiæ Legislatoriæ.

§. 5. Quia officium nobiliſſimum JCti eſt, conſulere etiam. At circa conſilia & cautelas communiter multi committuntur errores, quorum evitatio hic docebitur, quia Prudentia Legislatoria eſt ſpecies conſultatoriæ.

§. 6. Quia major prudentia requiritur ad LLatoriam & conſultatoriam, cum res ſit adhuc futura & incerta, cum in judiciaria res ſit magis certa & conſiſtens.

§ 7. Quia verſamur in ſeculo, ubi frequens eſt controverſia de emendandis moribus per leges, quæ uti propria JCto eſt, ita non poterit intelligi, ſi non intelligantur præcepta PrudentiæLegislatoriæ.

§. 8. Quia ſcire LL. eſt non verba noſſe, ſed intelligere vim & poteſtatem; id eſt, rationem. Eſt autem ratio legis vel ſcripta vel occulta. Si ſcripta eſt tunc etiam quoad vim & poteſtatem eſt cognoſcenda, non ſolum quoad verba, i. e. debet & hujus rationis interpretatio fieri ex regulis Prudentiæ Legislatoriæ; ſi non eſt ſcripta, tum iterum eruenda eſt ex regulis Prudentiæ LLatoriæ oſtenſus hic effectus in auctoribus Inſtitutio-

num

num exemplo tit. de Lege Fuſ. Caninia tollenda.

§. 9. Quia Academiæ debent eſſe Seminaria Reipublicæ & ibi debent præparari ſi non Legislatores, ſaltem Conſiliarii Legislatorum in legibus emendandis ſæpius occupati.

§. 10. Quia quemadmodum mutatio ſtatus publici poſtulat mutationem legum, ita eadem mutatio ſtatus publici ſæpiſſime ipſo jure tollit leges ſcriptas, etſi non expreſſe abrogatas, ex regulis Prudentiæ Legislatoriæ. Unde hæc abrogatio tacita maxime cognoſcenda.

§. 11. Quia ob defectum Prudentiæ Legislatoriæ quotidie hactenus latæ leges fuerunt, quæ vel non potuerunt habere effectum ullum vel certe non diuturnum. e gr. in ſtatutis provincialibus multa ſunt inſerta ex jure romano, quæ ad noſtros mores non quadrant: item in Legibus ſumtuariis: in prohibito bello per pacem publicam &c.

§. 12. Quia meditationes hæ Prudentiæ Legislatoriæ proderunt, ut eo melius quis titulum veri JCti mereatur, atque evitet extrema, ne quis fiat vel Legulejus vel Rabula.

Cap. II.

Cur hæc Doctrina hactenus vel plane

 non

non vel non ſufficienter aut confuſe tradita fuerit.

Qui rem ex profeſſo tradiderit, nemo conſtat. Pauca habet Pufendorff. de I. N. & G. ſed non ſufficientia.

§. 1. Quia Philoſophi putarunt prudentiam nullam doceri poſſe, inde nec de judiciali ordine tractarunt, aut regulas ſaltem interpretandi tradiderunt bonas. Nam Prudentia eſt rerum contingentium, actionum ſcilicet humanarum. Harum vero juxta communem errorem non datur demonſtratio.

*. 1) Hunc errorem refutavit Pufendorff initio libri ſui oſtendens moralia cadere ſub demonſtrationem.

2.) Etſi Prudentia ipſa non poſſit exactis regulis doceri, poſſunt tamen tradi regulæ quædam generales, & facta imprudentia (quæ communiter pro prudentibus habentur) oſtendi, ut evitentur, & in his aperiendis conſiſtit maxime officium Doctoris prudentiæ.

§. 2. Quia ipſam doctrinam de Prudentia, arte, aſtutia & omnibus habitibus intellectualibus, deque differentia ipſarum ſpecierum Prudentiæ confuſiſſime tractant. vide Tabulam Patris de virtutibus intellectualibus

lib.

lib. I. C. I. Inſtit. Jurisprud. divin. Brenneyſens Reſponſionem adverſus Stolzium.

§, 3. Quia conceptus Legum ab ipſis multis erroribus involvitur, non ſolum Legum naturalium, ſed & poſitivarum, etiam divinarum univerſalium. Nec ipſi in Inſtitutionibus hic omnia debito modo emendavimus.

§. 4. Quia Ariſtotelis libri de Legibus & Conſiliis interierunt. vide Patris Tabulam ult. Phil. Pract. Ipſi (Ariſtotelici) putarunt ſe ultra Ariſtotelem non debere ſapere.

§. 5 Quia Theologi inter articulos fidei caput de Legibus Divinis inſerendo, multa ex vanitate Philoſophiæ ſcholaſticæ inſeruerunt Syſtematibus, circa doctrinam de Legibus in genere, quæ & ipſa pro articulis fidei poſtea fuere habita, ita ut qui contra hiſcere fuerit auſus, pro hæretico ſit habitus, ut Pufendorffio accidit.

§. 6. Quia JCti ultra Corpus Juris ſapere non ſunt auſi, legesque Juſtinianeas ob infinitos nævos omnino contra omnem Prudentiam Legislatoriam latas habuerunt pro legibus perfectiſſimis.

§. 7. Factum inde, ut non ſolum nihil ſolidi de Prudentia Legislatoria ſcriberetur, ſed & ut conſiliis quorundam Theologorum (ex bona quidem intentione ſed absque prudentiæ regulis ex intempeſtivo pietatis ſtudio

mores pravos legibus emendare ſine Prudentia, ſtudentium) & JCtorum (ineptias Tribonianeas in legislatione imitari volentium) respublica Germaniæ multis legibus ineptis obrueretur.

Cap. III.

Quid ſit Prudentia? & quotuplex?

§. 1. Communiter ſtatuuntur quinque habitus intellectuales incluſi in nomine SISPA. Eorum differentia oſtenſa ex Patris Tabulis Philoſophiæ Practicæ. Quid in eorum expoſitione deſiderandum, dixi in Inſt. Jurispr. Div. lib. I. C. I.

§. 2. Præcipuus error, quod habitus Theoreticos ſtatuant eſſe nobiliores *) Practicis & ipſos habitus intellectuales nobiliores moralibus, quia putarunt, intellectum eſſe nobiliorem voluntate, & ab intellectu dependere felicitatem voluntatis, item eſſentiam Dei conſiſtere in ſpeculando, & ſapientiam ipſam in ſpeculatione eſſentiæ divinæ.

*) Theodoretus de Græc. Affection. curat. ſermon. ultimo propoſuit ſibi de præſtantia virtutis practicæ diſſerere, eamque doctrinam ex ipſo Platone corroborare. Sed cum apertum ſit, Platonicos ſpeculationem prætuliſſe praxi æque ut alios Philoſophos Gentiles, & Maximus Tyrius peculiarem diſſertationem ea de re ſcripſerit, in id delapſus eſt Theodoretus, ut

loco

loco virtutis practicæ Platonicam ſpeculationem & vitam eremiticam commendaret.

§. 3. Divinæ litteræ docent Sapientiam & Prudentiam eſſe unum idemque, vel certe unum non ſine altero. Et quamvis per actus intellectus exerceantur, fontes tamen earum & origines ex corde petendæ: *Liber Sapientiæ potiſſimum c. 8.* Et quemadmodum eſſentia Dei non in ſpeculando conſiſtit, ſed in actione & amore, ita etiam Sapientia & Prudentia conſiſtunt in ſimili amore & obſervatione voluntatis divinæ. *v. Brenneyſen contra Stolz.*

§. 4. Quodſi tamen Sapientiam & Prudentiam ad ductum rectæ rationis examinare & cum ipſa Scriptura conferre velis, Sapientia ſtricte dicta denotabit voluntatem intelligentem faciendi bonum ſine inclinatione ad malum, aut etiam ſine experientia mali Prudentia contra voluntatem faciendi bonum cum inclinatione ad malum, aut per experientiam mali. Ita Deus & Homo integer ſapientes ſunt, non vero prudentes dicuntur. Ita dicitur quod arbor cognitionis boni & mali Prudentes faciat. Et quod ſerpens fuerit prudens.

§. 5. Aut poſſis etiam ex dictis exemplis dicere, quod ſapientia ſit voluntas & appetitus boni absque metu mali, Prudentia appetitus boni cum cautione mali.

§. 6. Poſt lapſum, omnes homines natura inclinant ad malum, idque pro bono habent, inde natura nec ſapientes nec prudentes ſunt.

§. 7. Fiunt autem prudentes partim per experientiam mali (e. gr. Vexatio dat intellectum. Ein gebrannt Kind fürchtet ſich des Feuers) vel per doctrinam aliorum ortam ex experientia.

§. 8. Unde Prudentia eſt voluntas boni orta ex ſenſibili cognitione mali.

§. 9. Sed quia tamen homines natura malum pro bono & bonum pro malo habent, hinc initium ſapientiæ & Prudentiæ eſt, ex communi gratia Dei orta cognitio miſerrimæ conditionis humani generis (quod quæ appetunt ſint mala, & quæ bona ſunt averſentur) & inde ortus Timor Domini.

§. 10. Cum vero nemo ſit prudens, qui aliis conſulere vult, & ipſe nihil boni agit, inde requiritur etiam ad prudentiam quam maxime cognitio miſeriæ propriæ.

§. 11. Non autem ſufficit velle bonum, niſi etiam id conſequamur per media ad iſtum finem apta, & remotionem impedimentorum. Igitur in hoc conſiſtit complementum Prudentiæ.

§. 12. Inde Prudentia eſt deſiderium *boni veri*

veri cum apta electione mediorum. Utrobique & voluntas & intellectus concurrit, ſed voluntas tamen magis ſe exerit intuitu finis, intellectus intuitu mediorum.

§. 13. Eſt vero Prudentia duplex, communis reſpectu actionum totius generis humani, & ſpecialis reſpectu ſingulorum hominum. Prior includi poterit artis regulis, adeoque doceri, quia multa certa ſunt, quæ toti generi humano conducunt & nocent. Poſterior non ita doceri aut diſci poteſt, propter infinite variantem naturam ſingulorum hominum. Poſſis adeo priorem appellare Scientiam de Prudentia, poſteriorem prudentiam ipſam eminenter dictam.

§. 14. Porro eſt Prudentia non juſti tantum, ſed & Utilis, & Jucundi, & Decori. Quanquam ex P. I. Ethices C. I. hic ſit notandum, has non eſſe ſpecies *diſtinctas veri boni* ordinarii, ſed diverſos ſaltem conſiderandi modos.

§. 15. Qui igitur bonum verum deſiderat & media apta eligit, prudens eſt, qui bonum falſum deſiderat eligendo media apta, aſtutus eſt, qui nec bonum verum deſiderat, nec media apta eligit, imprudens eſt.

§. 16. Porro Prudentia communiter dividitur in Legislat. Conſult. & Judiciariam, de quarum diviſione ſecundum Ariſtotelicos vide

Patris Tabb. Phil. Pr. 29, ubi & de diviſione in Ethicam & Politicam.

§. 17. Omnium optime ſic dici poteſt. Omnis Prudentia eminenter dicta verſatur circa ſingularia, non univerſalia: Hoc enim reſpectu ſcientia magis dicitur. Probo: quia Prudentia eſt voluntas. Omnis autem voluntas eſt circa ſingularia. Adeoque non ſatis accurate diſtinguunt Ariſtotelici ſcientiam legum ferendarum, aut ſcientiam politicam ab ipſa Prudentia LLatoria. Et Prudentia conſultatoria æque habet ſua principia ac LLatoria. Idem dicendum de Prudentia judiciali.

§. 18. Igitur Prudentia inſtructa certis regulis & obſervationibus de conſequendo bono vero ejusque natura vel judicat de factis præteritis utrum ſint juſta, utilia, jucunda, honeſta, decora, vel conſulit futuris, & quod vel toti corpori vel ſingulis hominibus, vel circa factum inſtans unicum, vel circa facta plura inter ſe connexa, vel cum coactione externa, vel absque ea Prudentia, quæ toti corpori circa facta plura inter ſe connexa cum coactione externa conſulit, eſt Prudentia LLatoria. Reliquæ ſpecies pertinent ad conſultatoriam ſtricte dictam.

Cap. IV.

Obſervationes de Prudentia Conſultatoria.

§. 1.

§. 1. Igitur Prudentia Conſultatoria late dicta Legislatoriam ſub ſe comprehendit. Cum vero circa conſilia in genere, communiter etiam, multa committi ſoleant præjudicia, etiam ab iis, qui prudentiſſimi videri volunt, pauca hic de evitatione eorum præmonenda ſunt.

§. 2. Alia vero obſervanda ſunt iis, qui conſulunt alios, alia iis, qui aliis conſulunt.

§. 3. Quæ ipſe melius nota habeo aliis, de illis alios conſulere ſtultum eſt: e. gr. ſi alium conſulam, an cibum ad ſatietatem ſumſerim, ob ich ſatt bin? Hic error communiter & plerumque committitur in conſultationibus*) conſcientiæ. Cum conſcientia ſit cujusvis hominis propria affectio animi de moralitate rerum, non dependens ab alieno arbitrio. Tales ſunt pleræque quæſtiones de felicitate propria.

*) Item in conſultationibus medicis, was mir gut iſt.

§. 4. Quæ facillime nota habere poſſum æque bene ac alii de iis, ſi res moram patitur, melius facio, ſi ipſe ea cognoſcam, quam ſi alios iis de rebus conſulam. Talia ſunt omnia, quæ immediate per ſenſus percipi poſſunt, & præſentia ſunt loco & tempore.

§. 5. Quæ plane non intelligo, de illis non

non prudenter conſulo alios, & aleæ inſtar eſt, ſi conſilia bene cedant. Tales ſunt multæ conſultationes ſtudioſorum de ſtudiis, & communis vulgi etiam eruditorum de ſalute æterna.

§. 6. Quæ mihi ſunt impoſſibilia aut valde difficilia, de illis fruſtra & imprudenter conſulo alios. Hæc obſervatio tanto magis neceſſaria, quo plurima ſunt, quæ uni ſunt poſſibilia, alteri moraliter impoſſibilia.

§. 7. Qui aliis conſulit, eorum quibus conſulit capacitatem, vires, temperamentum &c. præcognoſcere, iisque conſilia ſua adaptare debet. Peccatur communiter contra. Nihil enim frequentius, quam ut conſilium dans dicat, ſi mihi hæc res obveniret, ego ita facerem &c.

§. 8. Qui aliis conſulit, debet conſilium dare absque reſpectu ad propriam utilitatem. Sed quis hæc obſervat? Omnes ſtudemus utilitati propriæ. Hinc circumſpectus eſſe debet, qui conſilia ab iis petit, an conſilium tendat ad intereſſe conſiliarii? Tangit hanc obſervationem Molierius in prima Scena Comœdiæ Amour Medecin.

§. 9. Qui & conſilium petit, & qui dat, non debet eſſe homo ſcrupuloſus, ad dubia ſaltem invenienda natus. Conſilia dantur, de rebus futuris, adeoque non omnino certis.

tis. Ergo in conſiliis non debent quæri deciſiones mathematicæ.

§. 10. Nimia conſultatio magis reddit dubium. Nulla declarat hominem vel imprudentem vel audacem. Medium tenuere beati. Felix, qui aliorum conſilia audit, ſed affectibus vacuus ipſe determinat.

§. 11. Conſiliis opus in negotiis plurimis: maxime in contractibus & teſtamentis. Multi adeo JCti cautelas ſcripſerunt in contractibus, teſtamentis &c. obſervandas, qui tamen & cum judicio legendi ſunt, & quæ bona ibi deprehenduntur, iis etiam cum judicio utendum eſt.

§. 12. De eo non opus eſt ut peculiare monitum fiat, ne conſilia petantur vel dentur de rebus præteritis, quia hoc fluit ex generali conceptu prudentiæ conſultatoriæ, quamvis ſæpe contra peccetur.

§. 13. Etſi igitur quoad applicationem cautelar. ad negotia ſingularia accurata doctrina dari nequeat, ob dicta c. 3. §. 13. poterunt tamen & hic quædam obſervationes genericæ annotari, contra quas communiter non raro impingitur.

§. 14. Scilicet quilibet homo prudens negotii, quod ſuſcipere vult, debet eſſe gnarus, ejusque naturam probe noſſe: quia cautelæ pleræque ex natura negotiorum ſumuntur.

videa-

videantur Cautelæ Strykianæ. Quæ enim ex natura contractus vel teſtamenti debentur, ea tacite inſunt, nec opus eſt, ut exprimantur. Quæ ad eſſentiam contractus & teſtamenti requiruntur, ea non debent negligi. Contra quæ per pacta debent, aut detrahi, & non inſunt, debent exprimi, e.gr. ſi in locatione non addatur, quod finita locatione, ſi aliter non conventum fuerit, debeat renovata eſſe ad idem tempus, ſtatim finito tempore locatio eſt finita, etiam, ſi partes nihil dixerint.

§. 15. Quilibet debet eſſe gnarus conditionis perſonarum & jurium his competentium, cum quibus contrahit. Nam & multæ cautelæ inde deſumuntur, v. gr. ex jure minorum, filiorumfamilias, militum, fœminarum. Qui formulas contractuum, renunciationum &c. ſcripſerunt ad imitationem formulæ ſtipulationis Aquilianæ in Inſtit. §. 2. quib. mod. toll. oblig. cumulare ſolent omnes Cautelas & renunciationes, quæ pro diverſitate circumſtantiarum occurrere poſſunt, ex quibus poſtea prudens homo ſeligit, quæ ipſi uſui ſunt futura, indoctus vero v.gr. ſi cum ſene ipſi res ſit, impertinenter renunciationem exceptionis SCti Macedoniani & Vellejani &c. exſcribit.

§. 16. Quilibet etiam debet eſſe gnarus natu-

naturæ rerum, de quibus contrahit, vel teſtamenta facit, quia & hæ habent ſua jura peculiaria, v.gr quod nemo poſſit tuto absque ſervitute feneſtras aperire in alienum fundum, quod ſervitutes extinguantur ſi utriusque prædii dominus fiam, quod marmora & aliæ partes ædificiorum non poſſint legari. &c.

§. 17. Quilibet debet operam dare, ut non ipſe decipiat, aut non decipere intendat alium, ſed negotia, quæ ſuſcipit, ſincere & bona fide agat. Nam ex probe perpenſa natura morali humani generis, & judiciis occultis providentiæ divinæ, cuilibet apparebit: homines bonæ fidei, ſi non ſint plane ſupini & negligentes, raro decipi, homines vero malæ fidei decipi, etſi cautelas ſubtiliſſimas adhibeant.

§. 18. Quilibet debet operam dare, ut negotia gerat cum viris bonæ fidei. Apud hos enim non multis cautelis opus eſt, niſi intuitu forte heredum, & uti dicimus, um Lebens und Sterbens willen. Si vero negotium mihi ſit cum homine malæ fidei, parum ſæpe proderit, etiamſi cautelas omnes contractui adjungam, quia facile eſt lege inventa fraudem etiam invenire.

§. 19. Quilibet in negotiis gerendis debet etiam decorum obſervare: nam multæ

cautе-

cautelæ in contractibus ſunt, multi modi firmiter ſe obligandi, quos proponere non decet viris integræ fidei & in dignitate conſtitutis, v. gr. clauſulæ juratoriæ, renunciationes omnium beneficiorum, obligatio ſub oppignoratione honoris. Ex illa etiam conſideratione fideicommiſſa apud Romanos ortum duxerunt.

§. 20. Quilibet in negotiis gerendis, ſi metuat injuſtitiam aut deceptionem, operam dare debet, ut poſſeſſionem rei, de qua agitur, nanciſcatur, vel ita negotium diſponatur ut alter controverſia orta potius actoris partes ſuſtineat, quam ipſe, quia beati poſſidentes, & actoris partes regulariter (etiam in bona cauſa) ſunt deteriores, quam rei.

§. 21. Uno verbo, qui cautelis prudenter vult uti, debet eſſe juris gnarus, probus, & in negotiis & commerciis hominum peritus.

§. 22. Igitur (1.) qui fundamenta juris ignorat, ei parum proderit, ſi concluſiones cautelarum ſciat: qui fundamenta juris novit, is facile cautelas ipſe formabit. Profunt tamen libri cautelarum ad excitandam memoriam & judicium.

§. 23. (2.) Improbus & affectibus illicitis deditus ob exceſſum affectuum minus aptus erit cautelis prudenter utendi.

§. 24.

Digitized by Google

§. 24. (3.) Si probus ſit & non callidus, i. e. ſi aliorum fraudes & malitiam ignoret, ſimplicitate nimia decipietur.

§. 25. (4) Ergo opus erit, ut principia genuinæ Ethicæ & Politicæ ſciat.

§. 26. (5) Ut eadem in praxi ſequatur, h. e. ut ſimplex ſit inſtar columbæ & prudens inſtar ſerpentis.

Cap. V.

De Natura & Diviſione Legum.

Notandum eſt, hoc caput jam legi tom. 6. Obſerv. Halenſ. obſ. 27. Adde tn. etiam dicta in Fundamentis Juris Nat. & Gent. Cap. prooem. & lib. I. paſſim, potiſſimum tamen Cap. V. Ex quibus adeo pauca ſunt in ordinem hic redigenda in nova editione de prudentia legislatoria.

§. 1. Expoſui quidem in Inſtit. Jurispr. Div. prolixius meam ſententiam de Natura & Diviſione Legum adverſus communes doctrinas Scholaſticorum & eorum qui Puſendorffio controverſias ea de re moverunt. Legi ea poteſt Lib. I. dictar. Inſtit. potiſſimum Cap. I. & II. Cap. I. n. 28. 33. 134. 135. Cap. II. n. 3. 4. 6. 7. 10. 11. 63. 64. - 94. 97. 117. 119. - 128.

§. 2. Sed quia tamen poſterioribus cogitationibus deprehendi me multa tum admiſiſſe pro veris propoſitionibus, quæ ad errores communes referenda ſunt, opera danda eſt, ut & illa jam emendentur.

§. 3. Fons omnis erroris exinde oriri videtur.

Quod Legis definitio generalis quæſita fuerit æque aptanda legi divinæ quam humanæ, tanquam ſpeciebus univocis, cum tamen lex divina ſit æquivoca, certe analoga, h. e. lex ſi non improprie, certe non proprie dicta. De Deo enim tanquam ente incomprehenſibili & infinito *) nullum prædicatum creaturæ proprie dicitur. Lex autem eſt prædicatum reſpiciens actionem humanam vel certe ejus relationem ad alios homines. Paucis, Lex proprie fertur & hominibus & ab hominibus.

*) Hoc verum eſt non ſolum quatenus Deus dicitur habere legem æternam a Scholaſticis, ſed & quatenus Deus leges fert hominibus.

§. 4. Quod, cum Legis vox ſæpiſſime etiam de dogmatibus & conſiliis, item monitis paternis &c. ſumatur tam in ſacris literis, quam apud alios ſcriptores, in doctrina de legibus divinis univerſalibus legis vox ſtricte nimis fuerit obſervata in conceptu dominico, quatenus monitis

nitis paternis opponitur, cum tamen Deus etiam ſe revelaverit ut patrem & amicum humani generis.

§. 5. Quod ex communi dicterio, quod conſilium non obliget, (ubi obligationis vox ſtricte ſumitur, vel ſi mavis, juridice pro obligatione externa) obligatio interna, nobiliſſima obligationis ſpecies plane fuerit relicta, & ita obligatio generaliter accepta pariter erronee definita. Igitur ſic tenendum.

§. 6. Quia legis vox etiam de Deo ἀνθρωποπαθῶς prædicatur, ut intelligetur eo melius, quid tum denotet, ante omnia videndum eſt, quid ſit lex proprie dicta, i. e. humana.

§. 7. Lex humana varia denotat: Conſilia, monita, mandata, præcepta, dogmata, pacta, amicorum, patrum, dominorum, parium, ſuperiorum, inferiorum. Inde in Scripturis δογματα ſæpe pro legibus ſumuntur.

§. 8. Quum igitur hæc vox ſit homonyma, oſtendendæ erunt variorum horum ſignificatuum convenientiæ & differentiæ.

§. 9. Conveniunt hæc omnia in conceptu generico, quod per ea præſcribantur regulæ vivendi hominibus in actionibus futuris, adeoque hoc reſpectu pertineant

 omnia

omnia ad prudentiam conſultatoriam ſeu ad conſilia late dicta, & quod in iis obſervanda ſint illa, quæ notavimus Cap. 4. potiſſimum §. 7. 8. 9.

§. 10. Differunt variis modis. Conſilium dari poteſt ab omnis generis hominibus, amicis, paribus, dominis, patribus, ſuperioribus, inferioribus: Dogma eſt præceptorum, pactum parium monitum, patrum & præceptorum, præceptum patrum, præceptorum & dominorum: mandatum vel ſuperiorum vel parium.

§. 11. Porro: Conſilia, monita, mandata, præcepta, pacta magis ſeu immediate reſpiciunt voluntatem ejusque actiones, dogmata immediate intellectum.

§. 12. Dogmata non obligant, quia omnis obligatio eſt actio voluntatis, ſed perſuadent vel non perſuadent: Conſilia ſi prudentia ſint, perſuadent, & ſi perſuaſerunt, obligant: Monita obligant, ſed magis intendunt perſuadere: mandata & præcepta obligant, item pacta, etiamſi non perſuaſerint.

§. 13. Perſuaſio igitur eſt affectio intellectus, qua intellectus credit aliquid eſſe verum in genere, hoc eſt, ſive de boni conceptu agatur, ſive de conceptu alterius rei: ſive

ſive intellectus putet ſe ejus rei ſcientiam firmam habere, ſive ſaltem fidem ſeu veroſimilitudinem.

§. 14. Obligatio eſt affectio voluntatis, vi cujus voluntas hominis alio inclinans retro trahitur ob metum mali.

§. 15. Scilicet voluntas hominis inclinatur regulariter natura ſua ad res quasdam, non quas ipſi intellectus bonas eſſe, perſuaſit, ſed quas ob inclinationem ſibi bonas perſuadet.

§. 16. Inclinatur autem vel directo ex concupiſcentia & amore, & tum intellectus concipit rem tanquam bonum per ſe, vel comparative ex fuga, & odio mali, & tum intellectus ſibi rem concipit tanquam bonum per accidens. Unde regula: minus malum induit naturam boni, & vice verſa.

§. 17. Natura autem voluntatis humanæ non eſt eadem, ſed infinitis modis diverſa, non ſolum intuitu individuorum humanorum inter ſe comparatorum, ſed & intuitu ſingulorum hominum, quia ſinguli poſſident triplicem voluntatem pravam & unam bonam, ſed natura imbecillimam. Hinc infinita & contradictoria appetunt homines.

confer Auctoris Orationes Academicas p. 10. ſqq. u Lohenſteins Arminium part. II. lib. II. cap. 263. p. 1081. b. edit. 2dæ.

§. 18. Voluntas hominum omnium natura inclinatur ad verum malum. Malum autem infinitum eſt. Verum bonum unicum.

§. 19. Ergo uti inclinatio directa ad verum bonum in ſtatu naturæ corruptæ qua talis non datur, ſed omnis eſt comparative. Ita & inclinatio illa ſi daretur, non eſſet obligatio, ſed ſumma libertas & ſpontaneitas, cum obligatio quaſi coactionem & metum ſemper præſupponat.

§. 20. Non tamen omnis retrotractio voluntatis ob metum majoris mali, obligatio eſt, e. gr. in viatore intuitu latronis. Hinc tradendum eſt, quomodo vis & obligatio differant. Ubi hæc præſupponenda.

§. 21. Majus illud malum, ob quod voluntas hominis alio inclinans reprimitur, vel neceſſariam, i. e. naturalem connexionem habet cum actione, ad quam homo inclinatur, vel dependet a libero aliorum hominum arbitrio.

§. 22. Jam quoad priorem caſum, nimiæ & ſæpius frequentatæ, aut etiam alias imprudenter ſuſceptæ actiones voluptuariæ, ambitioſæ, ex avaritia profluentes, natura ſecum trahunt varios morbos, contemptum aut odium & inimicitiam aliorum hominum, item damnum rei familiaris, item majorem

quo-

quotidie depravationem voluntatis, & inquietem animi.

§. 23. Mala, quæ a libero aliorum hominum arbitrio dependent, vel talia ſunt, ut ad ea inferenda homo ille jus & poteſtatem habeat, vel talia, ut proveniant ab eo, qui talem poteſtatem non habet.

§. 24. Igitur vis eſt, quando mala, quæ metuuntur, proveniunt ab eo, qui non habet poteſtatem inferendi, e. gr. a latrone.

§. 25. Contra obligatio eſt in reliquis metus ſpeciebus.

§. 26. Inde oritur diviſio obligationis in internam & externam.

§. 27. Obligatio interna eſt, cum homo, cujus voluntas alio inclinat, metuit gravius malum ex naturali connexione oriundum.

§. 28. Obligatio externa eſt, cum homo, cujus voluntas alio inclinatur, metuit gravius malum a libero arbitrio ejus dependens, qui poteſtatem habet talia inferendi.

§. 29. Facile hinc patet, quod obligatio in lib. I. Inſtit. Ipr. divinæ c. I. n. 134. definita ſit obligatio non in genere, ſed obligatio ſaltem externa & quod obligatio interna ſit vinculum voluntatis æque forte, ſi non fortius, quam obligatio externa.

§. 30. Imo prudentiores ſunt, qui obligatione interna duce actiones inſtituunt

quam qui externa, ſecundum dictum: oderunt peccare mali &c.

§. 31. Id tamen notandum: homines obligatione interna ab actionibus ſuſcipiendis reprimi non ſolum, ſi malum naturalem connexionem cum ſua actione habens (quod metuunt) ſit verum malum; i. e. inquies animi, ſed & ſi ſit ſaltem malum apparens.

§. 32. Ita v. gr. ſi ambitioſus irritetur ad libidinem valde, reprimitur ejus actio ſæpe non ex fuga inquietis, ſed ex metu contemtus ſaltem humani, aut ſi avarus irritetur, ex fuga damni &c. Unde dependet diſcusſio difficilis alias doctrinæ de conſcientia erronea, quam tamen prolixius excutere hujus loci non eſt. Jam enim in viam. (conf. §. 12.)

§. 33. Itaque dogmata cum directo non obligent, fruſtra quæritur, an intendant obligationem externam, an internam. Si tamen ſunt dogmata de moribus, ſimul habent naturam conſiliorum.

§. 34. Conſilia & monita intuitu ejus, qui conſilium dat & monitum, intendunt obligationem magis internam, quam externam.

§. 35. At mandata & præcepta (Regum & Dominorum) item pacta magis obligationem externam, quam internam.

§. 36.

§. 36. Porro quia omnes regulæ actionum humanarum reſpiciunt aut reſpicere debent utilitatem hominum; Conſilia, item monita & dogmata moralia reſpicere debent ex natura ſua utilitatem ejus, cui dantur (conf. cap. 4. § 8.) Mandata & Præcepta Dominorum natura ſua reſpiciunt primario utilitatem dantis.

§. 37. Pacta ſi ſint ab initio dipleura, reſpiciunt utilitatem utriusque, reliqua, ut ex jure notum, vel primario utilitatem dantis, ut mandatum, vel accipientis, ut donatio, commodatum, mutuum &c.

§. 38. Leges Politicæ in Rep. Democratica obligant per modum ſponſionis mutuæ, ergo debent reſpicere utilitatem communem.

§. 39. In Republica Ariſtocratica & Monarchia non abſoluta, quia ibi Magiſtratus & Princeps debent eſſe Patres Patriæ, etiam debent Leges intendere utilitatem communem.

§. 40. At in Dominatu & Imperio Deſpotico, æque ac mandata & præcepta domeſtica Dominorum, primario reſpiciunt utilitatem Legislatoris.

§. 41. Ex dictis jam facile exſtrui poſſunt definitiones.

§. 42. Lex pro Dogmate morali accepta

 eſt

eſt regula actuum moralium (vid. §.9.) a præceptoribus (vid. §. 10.) propoſita auditoribus, ut intellecta utilitate ejus intrinſeca obligatione ferantur, actiones ſuas ſecundum illam regulam inſtituere (vid. §. 11. 12. 33. 36.)

§. 43. Conſilii fere eadem definitio, eſt (vid. §. 33.) niſi quod dogma ſit Præceptorum, conſilium autem quorumvis, (vide §. 10.) & quod conſilium magis detur de actionibus ſingulis, dogma de univerſis.

§. 44. Monitum eodem modo definiendum; ut Conſilium, niſi quod illud ſit magis Patrum, & quod monitum tendat etiam ad obligationem externam, ſi liberi monitis ſponte obtemperare nolint (vid. §. 10. 12. & 34.)

§. 45. Præceptum ſtricte dictum eſt regula actuum moralium, qua Dominus vel Rex abſolutus obligat ſervos & cives, ut actiones ſuas ſecundum eam ſub metu pœnæ inſtituant ad utilitatem præcipientis, (vide §§. ſæpe citatos & adde §. 40.)

§. 46. Præcepta patrum & Præceptorum eodem modo definienda, niſi quod hæc reſpiciant utilitatem filiorum & auditorum (vid. §. 36.)

§. 47. Lex ſtricte dicta ſeu præceptum Reipublicæ, eſt regula actuum moralium obligans ſubditos, ut metu nullitatis, vel coactionis judicialis, vel pœnæ actiones ſuas

ſecun-

ſecundum eam inſtituant ad utilitatem communem vel Regis in Monarchia abſoluta.

§. 48. Pactum eſt regula actionis moralis, qua contrahentes & pares conſiderati obligantur ſub metu coactionis judicialis vel belli, ut promiſſa impleant, vel ad utilitatem communem, vel unius ex contrahentibus ſecundum variam pactorum naturam. vid. §. 37.

§. 49. Mandatum vel pro lege ſumitur, vel pro pacto, & ergo eadem eſt mandati definitio, quæ legis vel pacti.

§. 50. Nihil addendum eſt, quam ut obligationem externam adhuc diſtinctius conſideremus.

§. 51. Malum illud extrinſecus adveniens a libero tamen hominum arbitrio dependens, quod in obligatione metuitur externa eſt vel metus fruſtraneitatis, ut ita dicam, ve damni in re familiari, vel pœnæ.

§. 52. Omnis actio eſt propter finem, & homo adeo intendit, ut nihil agat fruſtra: Unde Reſpublica dum negotiis quibusdam per leges formam præſcribit, metum ſimul adjicit nullitatis, ſi ſubditi non inſtituant actiones ſecundum illam normam, ut in pactis, teſtamentis &c.

§. 53. Porro qui alteri damnum dat delictis, vel violatione fidei, æquum, eſt ut damnum

mnum illud datum reſarciat, etiamſi ille inde nullum acquiſiverit lucrum. Leges ergo humanæ metum talem incutiunt ſubditis & damnum datum æſtimant (quod tamen non pœna ſed intereſſe eſt) & reſtitutionem ejus judiciis exequuntur.

§. 54. Quia tamen ſponte debebant a delictis abſtinere & pacta ſervare, & adeo delictis & violatione fidei incommodant rempubl. inſuper pœna per leges dictatur delinquentibus, & qui dolo nimis aperto fidem violant.

§. 55. Inde patent diverſi obligationis externæ gradus & effectus legum politicarum diverſi,

§. 56. Metus nullitatis infimus eſt metus damni gravior, metus pœnæ adhuc gravior. Et quia pœnarum una alteri gravior eſt, inde & metus pœnarum ſuos diverſos gradus habet.

§. 57. Lex igitur humana ſtricte dicta & conſilio & monito, item Dogmati morali oppoſita in eo a conſilio &c. differt, quod conſilium &c. operentur ſaltem obligationem internam: Lex producat obligationem externam.

§. 58. A pacto differt, quod Pactum ſit inter pares, qui vel ſuperiorem habent, unde Pactum producit actionem, vel non habent, unde oritur Jus Belli.

§. 59.

§. 59. Niſi Pactum transferat imperium in alterutrum paciſcentium; tum enim ex natura hujus Pacti intuitu inferoris nulla producitur coactionis ſpecies, quæ actioni vel bello ſit ſimilis, quia hæc cum imperio non poteſt ſubſiſtere. (an pactum tale producat metum nullitatis, i. e. ut imperans, ſi ipſe pacta non ſervet, amittat imperium & ſocietas ſolvatur, quæſtio eſt altioris indaginis. Res ex natura ſocietatis Dominicæ dijudicanda. Et in applicatione ad ſocietatem civilem media via inter ſectas Machiavelliſtarum & Monarchomachorum eſt quærenda.)

§. 60. At intuitu ſuperioris qua talis, coactio oritur quæ tamen nec actio judicialis, nec bellum, ſed pœna.

§. 61. Lex autem (vid. §. 58.) ſemper eſt actus ſuperioris jus puniendi, judicialiter cogendi & annullandi habentis.

§. 62. Legis ergo humanæ virtutes immediatæ ſunt præcipere & vetare.

§. 63. Mediatæ & conſequentes, per magiſtratus punire, judicialiter cogere, aut annullare actiones contra leges.

§. 64. Ex his patet legem pœnalem eſſe quidem ſpeciem legum eminentem, legem exequentem (coactione judiciali) aut annullan-

tem eſſe ſpecies inferiores, ſed tamen ſpecies, quia cum coactione conjunctæ.

§. 65. Inde caute exponendum quorundam Politicorum dogma, quod omnis lex proprie dicta debeat eſſe pœnalis.

§. 66. Falſum etiam illud, ni fallor, Hobbeſii, omnem legem natura ſua eſſe disjunctivam & ſenſum habere, aut hoc fac aut pœnam patere.

§. 67. Nam lex pœnalis disjunctiva non eſt, quia qui pœnam patitur per paſſionem pœnæ, non acquirit jus & licentiam impoſterum contra leges peccandi, ſed tum pœna augetur.

§. 68. At in lege disjunctiva, v. gr. Wer mit Kutſchen fahren will, ſoll einmal oder jährlich 50. Thal. geben, licentia acquiritur alterutrum faciendi, nec finis eſt ut metus incutiatur.

§. 69. Unde leges hæ disjunctivæ ſunt leges improprie dictæ, & ſaltem ita dicuntur, quia a ſuperiore proponuntur per promulgationem.

§. 70. Denique legis virtus non eſt permittere. Et recte Grotius, permiſſio non eſt legis actio, ſed actionis negatio. Permiſſio etiam non eſt regula actionis moralis, qui tamen eſt conceptus generalis legis quocunque modo ſic dictæ, vid. ſupra. §. 9.

§. 71.

§. 71. Orta autem eſt diviſio legis in præcipientem & permittentem ex confuſione juris & legis. Jus eſt vel permiſſivum (v. gr. Dominium, Patria Poteſtas) i. e. attributum perſonæ, vel præceptivum, i. e. Lex. Confuſio illa maximam partem debetur interpretibus Juris romani & fundatur in L. Legis virtus ff de Legibus.

§. 72. Jam ad Leges divinas. Voluntas Dei, quam manifeſtavit hominibus, debet utique eſſe norma actionum humanarum. Sed hoc ſaltem infert conceptum legis generalem, quatenus à dogmate morali, conſilio, monito, pacto, & lege ſtricte ſic dicta præſcindit, per dicta §. 9.

§. 73. Hæc voluntas Dei vel eſt rationi hominum inſcripta vel a Deo publicata per Scripturam. Inde diviſio legis divinæ in legem naturalem & poſitivam. At per hanc obſervationem iterum nihil ſpecialius infertur, ſed manet adhuc conceptus generalis.

§. 74. In his ergo convenimus cum communi doctrina. Jam vero quæritur: An lex divina, quæ vel naturalis vel poſitiva eſt, aut an lex naturalis in ſpecie vel lex poſitiva in ſpecie dicatur ἀνθρωποπαθῶς de conſilio, an de pacto; an de monito, vel de dogmate morali, an de lege dominica vel politica ſtricte dicta?

§. 75. Deus intuitu hominum proprie nec Conſiliarius, nec Pater, nec Doctor, nec Rex eſt, omnia horum vero de Deo prædicantur per ſimilitudinem. Conſiliarius & Doctor eſt, quatenus homini ſemina doctrinæ moralis & prudentiæ conſultatoriæ indidit. Pater, quatenus creaturis ſuis, maxime autem homini, & eſſe dedit & bene eſſe, & quatenus eſt auctor omnis boni. Rex eſt, quatenus leges pœnales publicavit & per Moſen populum Iſraeliticum rexit.

§. 76. Pacti vox de voluntate Dei non niſi impropriisſime prædicatur, 1) quia pacta fiunt inter pares qua tales, at Deus quando pactum init cum hominibus, ſemper retinet conceptum ſuperioris; h. e. vult hominem ſibi obligare, non vero ſe homini, 2.) Homo vero jam ante pactum erat obligatus Deo obligatione intrinſeca, quæ non augetur per pactum. 3.) Quæ Deus promittit, ea ob ſanctitatem ſuam non poteſt non ſervare. Unde homo in Deum fidens non opus habet promiſſo, quia beatitudo neceſſario eſt connexa cum vita virtuoſa. Homo autem Deo diffidens nullum jus acquirit in Deum per hanc promiſſionem.

§. 77. Quia tamen Deus ſæpe in Scripturis mentionem facit fœderis cum Noacho, cum

cum Abrahamo, cum populo Iſraelitico per Moſen, & fœdus ſpecies pacti eſt, inde poteſt etiam pacti vox de voluntate Dei ſuo modo prædicari.

§. 78. Illa tamen obſervatio, quam §. 76. poſuimus eſt probe notanda, ne quod non nulli ex novioribus Theologis & Pufendorffius etiam in opere poſthumo * fecit, quæramus illuſtrationem doctrinæ de Oeconomia divina ex natura pactorum, utpote quæ magis ob tot differentias obſcuratur, quam illuſtratur.

*. & Huberus. vid. tom. 6. Obſervat. Hal. p. 273.

§. 79. Nam in Scripturis, quantum memini, nunquam dicitur, inter Deum & Adamum pactum & fœdus interceſſiſſe: & magis explicatur voluntas Dei Adamo manifeſtata ex natura conſilii & moniti, quam ex natura pacti.

§. 80. Fœdus cum Noacho & Abrahamo initum ſimilitudinem ſaltem quandam cum pacto habet, ſed valde remotam, tantum abeſt, ut ex natura pacti negotium iſtud doctrinaliter poſſit exponi. Idem eſt ac ſi monita patris, quibus promiſſiones benevolentiæ junctæ ſunt fœdus dicere & pactum velim; magis enim retinent naturam monitorum & conſiliorum, & ex horum natura felicius explicantur, quam ex natura pacto-

rum, præprimis cum jam Grotius promiſſiones patrum, patronorum &c. a pactis & recte ſeparaverit, quia non inducunt obligationem ex parte promittentis.

§. 81. Fœdus Moſaicum habet naturam illius pacti irregularis, cujus naturam deſcripſimus §. 59. Unde nec hoc ex natura pacti regularis exponi poteſt.

§. 82. Chriſtus magis ut Doctorem ſe manifeſtavit, quam ut paciſcentem. Quod vero ejus Doctrina appelletur novum fœdus magis ab interpretibus provenit & Collectoribus librorum N. Teſtamenti, quam ut in Textu ſic vocetur. Quamvis hæc locutio poſſit retineri eo ſenſu, quatenus Chriſtus in genere cum Moſe comparatur. Et melior eſt locutio, quam ſi per Teſtamentum explicetur.

§. 83. Miſſa igitur comparatione voluntatis divinæ cum pacto, ob dictas rationes, reſtat, ut videamus, utrum voluntas divina magis recipiat comparationem cum lege dominica vel regia, utrum cum monito paterno aut doctrina morali, quæ ſpecies conſiliorum potius ſunt, quatenus conſilium legi opponitur per dicta § 57.

§. 84. Quodſi accurate & absque præjudicio doctrinam Scripturæ, quæ ubique hic fundamenti loco ponenda eſt, conſideres,

pate-

patebit Deum ſe in creatione manifeſtaſſe non tam ut regem, quam ut Patrem benignisſimum, & hanc manifeſtationem continuaſſe in Patriarchis, usque ad tempora Moſis, per quem usque ad adventum Chriſti ſe manifeſtavit in ſpecie populo Iſraelitico, ut Regem & Dominum. Chriſtus autem ſe manifeſtavit ut Doctorem, aut potius Deus in & per Chriſtum ſe manifeſtavit iterum univerſo generi humano ut Patrem benigniſſimum: ad quem Chriſtus θεάνδρωπος divina ſua doctrina ducebat. Poſſes etiam ſic dicere: Deum in Oeconomia ſua ſe manifeſtaſſe ſecundum omnes tres ſtatus ſocietatis domeſticæ, Adamo & Patriarchis ut Patrem, Iſraelitis per Moſen ut Dominum, gentibus omnibus in Chriſto & per Chriſtum ut ſponſum.

§. 85. Ubi vero hæc de Chriſto prolixius adducere ad præſens inſtitutum non pertinet, & præterea hanc ſententiam omnes paginæ hiſtoricæ Evangelicæ teſtantur, de manifeſtatione autem per Moſen non eſt dubium, ita ſaltem probanda eſt prima aſſertio.

§. 86. Deus ſe manifeſtavit Adamo ut Patrem benignum, non ut Dominum & Regem, ſeu leges Adamo datæ ſunt potius monita paterna. quam leges regiæ, h. e. produxerunt obligationem, internam non externam.

§. 87. Probamus hanc ſententiam, quia leges Adamo datæ etiam ex communi ſententia vel ſunt naturales, vel poſitivæ.

§. 88. Naturales quod attinet, uti non fuerunt publicatæ Adamo, ſed cordi ejus inſcriptæ, ita perpetuo qua tales nullam aliam niſi obligationem internam producunt, graviſſimam tamen, quia metuunt malum neceſſarium, quod evitare aſtutia non poſſis, ſcil. inquietem animi, & amiſſionem pacis internæ pariter & externæ.

§. 89 Quamvis enim antea Doctores putaverint pœnas externas humanas, quæ v.gr. homicidio, adulterio &c. irrogantur etiam a natura deberi, contrarium tamen hujus rei jam docuimus in Inſt. Jurispr. divinæ, & origo erroris communis orta eſt ex neglecta diſciplina juris naturalis & inepte expoſita comminatione Caini Geneſ. IV. quam alii de præcepto naturali, alii de præcepto poſitivo univerſali habuerunt. Utrique parum apte, quia & ibi monitum magis eſt, quam præceptum.

§. 90. Igitur ſola hic reſtat lex Protoplaſtis data de non comedendo fructu arboris ſcientiæ boni & mali: quam communi errore hactenus fere unanimiter habuimus pro lege regia & poſitiva, quia negleximus ſecundum regulas bonæ interpretationis exponere hiſto-

hiſtoriam creationis & lapſus, & ex principiis papiſticis Deum conſideravimus ut Tyrannum vel Despotam, v. gr. eſum certi cibi ſub pœna capitali prohibentem, qui cibus alias homini nullum damnum inferret, ſed ubi loco rationis nihil aliud afferri posſit, quam ſic volo, ſic jubeo, ſtat pro ratione voluntas.

§. 91. At, ſi, quod monſtrabimus mox luculentius, alibi a) oſtendatur, fructum arboris vetitæ fuiſſe deſtinatum ad cibum ſerpenti, adeoque in eo fructu fuiſſe quaſi concentratum ſpiritum virtute pollentem, ut produceret ſapientiam terreſtrem ac cupiditates terreſtres, patet & hujus intuitu legem Adamo datam eſſe monitum paternum, ac mortem ſubſecutam non eſſe malum arbitrarium, ſed neceſſarium.

a) In Hiſtoria msta Decori fol. 18. 19.

§. 92. Ergo & illa lex de non comedendo ab arbore vetita eſt mere naturalis, cujus rationem æque intelligebat Adamus, ac rationem de non occidendo &c. Nec obſtat, quod hæc lex fuerit publicata Adamo. Nam primo etiam ſumma capita legis naturalis ſunt publicata in Decalogo Iſraelitis. Secundo publicationis Adamo factæ ideo fit mentio, quia Deus prævidebat ſpiritum Adami terreſtrem irritatum maxime iri per

 hunc

hunc fructum. Ita v. gr. Pater filium morigerum & prudentem, natura tamen ad ſexum ſequiorem inclinantem non deſinit hortari & ei monita ſalutaria dare, etſi ſciat filium jam in intellectu poſſidere principia moralia de turpitudine ſcortationis, & hactenus etiam fugiſſe meretrices.

§. 93. Uti ergo lex naturalis non eſt lex politica, ſed conſilium & monitum paternum, ita etiam neceſſario ſequitur: pœnas divinas, quas homo ex violatione horum præceptorum metuit, eſſe improprie dictas. Nam pœna proprie dicta eſt metus mali externi arbitrarii nullam neceſſariam connexionem habentis cum actione turpi. Ita improprie dicta pœna eſt ſi quis ex ſcortatione morbum gallicum ſibi contrahit, ſi quis in facto audaci & periculoſo damnum in corpore &c. ex illo facto patitur.

§. 94. Differentia vero ſimul patet inter Doctorem & legislatorem abſolutum. Doctor emendat amice coactione amica, i. e. interna. Legislator emendat iracunde coactione externa. Metus Doctoris & Patris eſt metus filialis. Metus Domini & Deſporæ ſervilis. Pater & Doctor primario quærit utilitatem filii & diſcipuli: Dominus & Deſpota primario ſuam. Jam con-

conſidera, an non neceſſario illi, qui leges divinas ut dominicas exhibent, ſimul Deum ſiſtant ut Dominum, qui ſuam primario utilitatem quærit, & inculcent metum non filialem, ſed ſervilem.

§. 95. Ergo id tamen verum eſt Deum in lege Moſaica publicaſſe leges, quæ verarum legum politicarum & dominicarum inſtar habentur: quia adjunctæ ſunt plerisque pœnæ & reliqui effectus legum politicarum. (vid. Cap. V. § 63.)

§. 96. Dico inſtar legum deſpoticarum, non quod Deus voluerit per leges Moſaicas introducere metum ſervilem, & in illis legibus ſuam primario utilitatem quærere, ſed quod homines pertinaces & non niſi metu ſervili reprimendos aliter in viam reducere non potuerit. Quemadmodum pater ſi filius nequam monita paterna contemnat & ad nequitiam omnem inclinet, vitio filii ut ſervum eum durius tractet, donec in ordinem redigat.

§. 97. Hinc etiam ut nonnulli noviſſime obſervarunt, Deus initio populo Iſraelitico leges ſimplices in Decalogo comprehenſas publicabat absque onere cæremoniarum, & absque pœnis externis, poſtea vero cum idololatria ſua Deum irritaſſet populus, dedit in legibus forenſibus pœnas externas & jugum

Digitized by Google

cæremoniarum, quæ leges etiam propterea apud Prophetam appellantur ſtatuta non bona, & debebant expirare adventu Chriſti. vide Wachteri Spinoſismum in Judaismo.

Hic §. omiſſus in Obſervat. Hal. p. 279.

§. 98 Ex dictis autem conſtat 1. quod diviſio legis divinæ in naturalem & poſitivam, non ſit diviſio in ſpecies univocas, ſed diſtinctio æquivoci. Lex naturalis enim eſt monitum paternum, lex poſitiva & lex deſpotica.

§. 99. 2. Quod cum lex naturalis & Moſaica opponantur ſibi, per legem Moſaicam intelligantur ſaltem præcepta forenſia & ceremonialia, non decalogus, utpote qui per adventum Chriſti non debuit expirare, ſed cujus fundamentum de amando Deo & proximo Chriſtus renovavit.

§. 100 3. Quod omnis lex divina poſitiva ſit particularis, & quod adeo non detur lex talis divina poſitiva univerſalis.

§. 101. Quod ultimum ut diſtinctius concipiatur, repetendum eſt ex programmate, §. 15. cur leges de Sabbatho & leges pœnales non habeamus pro legibus univerſalibus ſed ſolum Judaicis.

§. 102. Quod autem leges matrimoniales attinet, de iis ſic tenendum: Non publicatæ illæ ſunt Adamo aut Noacho, multo minus

nus certa pœna humana iis addita. Interim cum Deus ipſe matrimonium inſtituiſſet, nec fruſtra unam uni junxiſſet, facile perſpiciebant Patriarchæ tam ante quam poſt diluviani, melius eſſe ſi ea, quæ communiter ad leges nuptiales divinas referuntur, obſervarent, quam ſi diverſos mores ſequerentur.

§. 103. Probatur autem melius eſſe vivere ſecundam illas regulas conjugales, quia talis vita indicat aut conjuncta eſt cum vita magis quieta, contrarii autem mores etſi non directe turbent pacem externam, tamen occaſionem multam ſuppeditant turbis, vel certe indicant in homine, qui iis utitur, magnam libidinem & inclinationem ad voluptatem, atque adeo aliis ſcandalum præbent.

§. 104. Ita concubitus vagus citra ſocietatem arctam, quæ conjugium dicitur, haut dubie libidinis teſtimonium eſt, adeoque melius eſt certam perſonam ſeligere, cum qua procreemus liberos, quam ſcortari.

§. 105. Sodomitica crimina vero ſunt eminentes libidines.

§. 106. Monogamia melior eſt, quam Polygamia, uti late probavit Pufendorffius de J. N. & G. capite de Matrimonio.

§. 107. Divortia indicant plerumque libidinem, ſi fiant ea intentione, ut alia du-

catur: aut imprudentiam, ſi ob mores pravos fiant, quod non ſatis circumſpectus quis fuerit in ſeligenda perſona; is autem, qui ob mores tales repudiatur, haut dubie eſt homo parum quieti animi. Breviter: melius haut dubie eſt, ſi quis conjugem nactus ſit, cum qua individuam conſuetudinem habeat, quam ſi divortium ab ea faciat.

§. 108. Inceſtus parentum haut dubie ex libidine fit, quia diverſitas ætatum, *reverentia* parentibus debita & familiaritas conjugalis, facile indicant non eſſe conjugium prudens, ſi pater cum filia jungatur, multo minus ſi filius cum matre: Eadem ergo fere eſt hic moralitatis ratio, quæ in aliis *ſenibus*, quando cum juvenibus matrimonium contrahunt.

§. 109. Inceſtus ſororum & fratrum ac reliquarum perſonarum eſt ſaltem contra legem Moſaicam, quia abſtrahendo a multis circumſtantiis particularibus, quæ non ſunt communes toti humano generi, in conjugiis ejusmodi nulla turpitudo naturalis adeſt, inde etiam viri ſancti ante legem Moſaicam talia matrimonia h buerunt.

§. 110. Concubitus cum menſtruata indicat magnam libidinem, cum ea res damnum afferat ſanitati, & etiam partum ipſum reddat morbis obnoxum.

§. III.

§. 111. Denique eadem eſt ratio legis Noachicæ de non comedendo ſanguine, quia vita eſt in ſanguine, & homo ſanguinem comedendo magis magisque ſimilis fit beſtiis, quarum ſanguis eſt, vel crudelis redditur ad appetendum ſanguinem, adeoque magis recedit a ſtatu tranquillitatis. Et hæ rationes indicantur in ipſa lege Noachica Geneſ. IX.

§. 112. Quod vero hoc præceptum publicatum legitur, factum fuit, non ob Noachum, qui bene moralitatem illius jam intelligebat, quam ob perverſos & depravatos mores priſtinos, qui valde adhærebant adhuc Noachi liberis. Unde eadem eſt ratio hujus publicationis, quæ publicati Decalogi.

§. 113. Quare non obſtat dictus locus Geneſeos, ut exinde opponere poſſis clarum exemplum legis jure poſitivæ univerſalis. Adde, quod etiamſi poſitiva eſſet, eſſet tamen ſaltem monitum, non lex pœnalis, quia non adjunctam habet pœnam externam.

§. 114. Porro non obſtat Levit. XVIII. ubi Deus dicit, quod gentes ſe contaminaverint in omnibus illis abominationibus, & quod eos *propterea* ejicere velit, item quod omnis anima, quæ tales abominationes faciat, debeat extirpari a populo ſuo.

§. 115. n. 1.) Abominationes Domino ſunt omnia vitia, etiamſi pœna externa non

coer-

coerceantur, aut etiam juſtam cauſam bello non præbeant, ut intemperantia, ingratitudo, cor falſum &c. ergo non ſequitur, hoc eſt abominatio coram Domino, ergo prohibita eſt lege pœnali, multo minus lege poſitiva divina.

§. 116. ℟. 2) Quod extirpatæ ſint gentes, non factum fuit, quod contra unam vel alteram legum illarum peccaverint, ſed quod contra omnes, ut clare textus loquitur, unde falſum eſt, quod exinde probari poſſit, Deum eas leges ſingulas apud omnes gentes voluiſſe pœna capitis muniri.

§. 117. Ratio vero aperta eſt, populos, qui talibus moribus ſunt præditi, eſſe gentem mollem, ſtultam ac injuſtam, quæ alios vicinos populos maxime irritet, & quæ poſtea incapax ſit, contra hoſtes ſuos ſe defendere. Omnis enim luxuria & mollities eminens eſt cauſa neceſſaria ruinæ magnorum etiam imperiorum.

§. 118. Unde jam intelligitur, quid velit illud *propterea*. Nam opera providentiæ & juſtitiæ divinæ non excludunt rationes philoſophicas.

§. 119. Per τὸ extirpari a populo ſuo non ſemper intelligi pœnam capitis, argumento eſt Geneſ. XVII. 14. Levit. XX. 20. 21. etſi Deus plerasque illarum legum pœna capitali in lege forenſi muniverit, ſed denotatur

vel

vel judicium occultum Dei, vel etiam ratio naturalis. Nam homo ita luxorioſus, qui nullam harum legum matrimonialium obſervat, plerumque ineptus eſt ad generandam ſobolem, & mortem ſibi ipſo vitio accelerat.

§ 120. Unde ſenſus dicti eſt: Libidines ibi recenſitæ, uti aliæ cupiditates humanæ Domino abominationes ſunt. Gentes quæ hic omnibus contaminatæ ſunt, ejicientur a vobis ſedibus ſuis atque ne vos ſeducant, a vobis extirpabuntur. Vos vero omnes illas vitabitis ſub certa pœna humana vel metu etiam judicii occulti partim ut moribus veſtris ſeparemini ab iſtis populis, quas extirpabitis, partim quia una libido facile ſecum trahit alteram. Nam videmus valde libidinoſos ad omnia ibi recenſita crimina pronos eſſe.

§. 121. Memoranda etiam eſt lex connubialis de imperio mariti, quam & ipſam retulimus in Inſtit. Juris Div. inter leges poſitivas univerſales. Sed reſpondetur:

1) in Ebræo eſt, & dominabitur tibi. Eſt ergo futurum, non imperativus. Unde ſtulti ſunt, qui putant: præceptum eſſe maritis, ut imperent graviter uxoribus & absque læſione conſcientiæ non poſſint verbera omittere, ſi reſiſtant uxores, quorſum referenda ſententia cujusdam Fridlibii in Tr. de mo-

deſtia

Digitized by Google

deſtia JCtorum, cum potius ſi præceptum eſſet, jus, hoc eſt, libertas concederetur maritis, ut obligatio eſſet intuitu uxorum. Jus autem omne tale eſt, ut quilibet eidem renunciare poſſit. Neque ergo Deus voluit maritos eſſe carnifi es uxorum, uti voluerunt quædam verſiones: Unde ſcholl dich to pinigen &c.

§. 122. 2) ergo Deus nihil amplius ibi narrat, quam fructus lapſus naturali aut morali conſequentia eum ſubſecuturos: e. gr. partum cum doloribus. Ita etiam poſt lapſum maritus imperabit potius uxori, quam uxor marito, ob imbecillitatem ſex s muliebris.

§ 123. Hic tamen medium tenendum. 1. Fœmineus ſexus ex natura humana non eſt ejiciendus. 2. Imbecillitas earum non primario in intellectu eſt quærenda: nam certum eſt fœminas æque ingenio pollere ac mares, & capaces eſſe ad ſtudia quævis. 3. Vitia voluntatis plurima, quæ ſexum fœmineum comitantur, dependent ab educatione earum, & cultu idololatrico maſculorum. Unde noſtra ſunt magnam partem earum vitia. 4. Interim non negandum intuitu voluntatis eſſe regulariter ſexum hunc imbecilliorem, & ſignum ejus eſſe etiam imbecillitatem corporis. Varium & mutabile ſemper fœmina. Unde ad imperium regulariter ſunt minus aptæ &c.

§. 124. His præmiſſis obſervamus: Legem naturalem ſumi duplicitur 1) generaliter pro omnibus regulis actionum moralium ex dictamine rectæ rationis proficiſcentium, ſeu pro omnibus dogmatibus moralibus, ſive reſpiciant bonum internum, ſive externum, ſive regulas honeſti, ſive juſti, ſive officia hominis erga ſe ipſum, ſive erga alios homines, ſive determinent intuitu aliorum hominum bonum abſolutum & malum abſolutum, ſive comparationem graduum inter res bonas vel malas &c.

§. 125. 2) Specialiter quatenus lex naturæ denotat ſaltem principia moralia, quæ reſpiciunt bonum externum & regulas *juſti*, ſeu officia hominum erga alios homines & quidem in negotiis per ſe turbantibus ſocialitatem ſeu pacem externam, quæ dicuntur mala abſoluta, & poſſunt referri ad tria capita: neminem eſſe contemnendum. Neminem lædendum. Non eſſe violandam fidem datam; quæ collecta continentur in hoc præcepto. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Et hoc modo lex naturæ opponitur regulis *Honeſtis* & *Decori* ſeu principiis Ethicis ſtricte dictis & politicis.

§. 126. Igitur principia Honeſti ſunt regulæ actionum moralium, quatenus reſpiciunt officia hominis erga ſe ipſum, ſeu actio-

nes, quibus acquiritur bonum internum,ſeu quies animi per ſedationem affectuum absque reſpectu ad alios homines. Habent hoc principium: ſuſtine & abſtine.

§. 127. Principia Decori veri ſunt regulæ actionum moralium reſpicientes actiones hominum erga alios homines in capite de officiis humanitatis, ſeu promotionem pacis externæ per electionem boni perfectioris, cujus adeo oppoſitum eſt malum comparativum: & includitur præcepto: Quod tibi vis fieri, alteri feceris.

§. 128. Ex dictis auctem patet, quomodo lex naturæ & leges illæ, quas antea ad claſſem legum poſitivarum univerſalium retulimus, differant. Lex naturæ eſt illa lex naturæ ſtricte dicta continens principia juſti. Leges illæ poſitivæ univerſales non ſunt leges poſitivæ, ſed ſunt concluſiones ex principiis Decori deductæ, vel etiam ex principiis Honeſti. Decet enim viros prudentes & ſapientes non ſolum obſervare præcepta juſti, ſed & Honeſti & Decori. Unde leges matrimoniales oſtendimus primario reſpicere bonum internum & evitationem mali externi etiam per accidens ſaltem procurandi. Ita lex de non comedendo ſanguine reſpicit etiam primario quietem internam &c.

§. 129. Simul vero patet: quia Hone-

ſtum

ſtum & Decorum ſæpe promiſcue uſurpantur, quatens ſcilicet utrumque opponitur juſto, quod & Honeſtum & Decorum ſumantur etiam inſenſu lato, quatenus utriusque oppoſitum eſt actio *vitioſa* ſeu *turpis* & indecora, quæ tamen non eſt crimen. In ſenſu vero ſtricto a ſe differunt ſecundum tradita §. 126. 127. Denique actiones contra jus naturæ ſtricte dictum dicuntur crimina i. e. quæ vindictam pariunt. Habes ergo ſimul differentiam inter *vitium* & *crimen*, idem inter *virtutem* & *juſtitiam*.

conf. Diſp. de cenſura morum cap. I. §. 17.

§. 130. Cum itaque leges divinæ Ante-Moſaicæ ſint nihil aliud quam præcepta Juſti, Honeſti & Decori, & ejusmodi dogmata communi ſtilo legibus opponantur, patet legem ſtricte & propriiſſime ſic dictam eſſe voluntatem ejus, qui ſummam poteſtatem habet in Republica patefactam ſubditis, ut ſub metu pœnarum, vel coactionis vel nullitatis actiones ſecundum eam inſtituant.

§. 131. Ex quo ſequitur; Omnem legem proprie dictam eſſe civilem & poſitivam. Poſterius jam probavimus, oſtendendo legem naturalem eſſe legem improprie dictam. Prius jam paucis eſt oſtendendum.

§. 132. Cum enim præter legem naturalem etiam jus Gentium leges dici conſueverint, &

in domo voluntas Patrisfamilias habeat etiam vim legis domeſticæ, videntur & hæc jura ſub definitione legis proprie dictæ eſſe comprehendenda.

§. 133. Sed jam in inſtitut. Jurpr. divin. oſtenſum: Jus Gentium vel ſumi pro moribus Gentium, vel pro jure proprie dicto. Mores quia liberi ſunt & nullam obligationem inducunt, non poſſunt pro lege haberi, neque illi, qui contra faciunt, dici, quod violaverint jus Gentium. Jus Gentium proprie dictum eſſe ſpeciem Juris naturæ, ibidem oſtendimus: Ergo cum Jus naturæ ſit lex improprie dicta, etiam Jus Gentium proprie dictum non proprie erit legis ſpecies.

§. 134. At juſſa Patrumfamilias regulariter momentanea ſunt, neque præſcribi ſolent, tanquam communis norma, neque etiam id patitur facile natura ſocietatis domeſticæ. Ergo & hæc ſunt leges minus proprie tales, cum lex proprie dicta debeat eſſe conſtans & durabilis, & communis norma plurium.

§. 135. Dico legem debere eſſe publicatam. Et in hoc conſentiunt omnes: legem poſitivam ut vim obligandi habeat, requirere publicationem. Publicatio autem eſt duplicis generis: alia fit viva voce, alia per ſcripturam. Inde lex eſt vel ſcripta vel non ſcripta.

§. 136. Scio quidem huic ſententiæ contra-

dice-

dicere communem JCtorum ſcholam, qui ad eſſentiam Juris ſcripti dicunt non pertinere ut lex ſit ſcripta. Sed hic error inde provenit, quod jus ſeu legem non ſcriptam putaverint eſſe ſynonymum juris quod hodie conſuetudinarium dicitur, & quod ex hoc errore profluxit alius error, ſcil. doctrina communis de requiſitis conſuetudinis ut vim juris accipiat, & tota fere doctrina de jure conſuetudinario.

§. 137. Legem non ſcriptam non eſſe ſynonymum Juris conſuetudinarii, ſed denotare leges absque ſcriptura publicatas patet ex §. 10. Inſt. de Jur. Nat. & Gent. & Civ. Nam Lycurgus, ut infra videbimus, leges ſuas publicavit absque ſcriptura (conf. interim Paul. Voet. Comment. ad d. §. 10.), neque Lacædemoniorum Jus pedetentim ex moribus eſt introductum. Quamvis non ſit diffitendum ſi d. §. 10. cum §. 9. conferas, ipſum Tribonianum hæc duo diſtincta miſcuiſſe.

§. 138. Errores vero iſtos communes de jure conſuetudinario jam prolixius notavi in peculiari diſſert. de Jure conſuetudin. & obſerv. cujus ſumma eo tendit: conſuetudinem producere jus efficaciæ & impunitatis, non tamen jus obligationis ſeu legale, adeoque non eſſe ſpeciem legis proprie dictæ, probari tamen legem non ſcriptam per conſuetudinem.

Addatur etiam §. 69 in Obſerv. Hal. p. 291.

Cap. VI.

De origine legum (& Rerumpublicarum.)

§. 1. Docuit caput præcedens omnes leges proprie dictas, i. e. civiles eſſe poſitivas, easque vel ſcriptas, vel non ſcriptas. Jam videndum de origine legum & primis earum inventoribus.

§. 2. Quid ſcriptores Ethnici & ex Chriſtianis Polidorus Vergilius, ac Henric. Salmuth de origine legum tradunt, indicavimus & refutavimus in diſſ. de contentione morum cum jure ſcripto §. XIV. usque ad §. XXIII.

§. 3. Ex dictis capite præcedente *primo* ſtatuendum eſt: Leges humanas antiquiores eſſe legibus divinis, quia lex divina ſtricte dicta eſt ſola lex Moſaica. vid. §. 95. ſeq. cap. præced. Jam autem nullum eſt dubium leges humanas ſtatim ortum ſumſiſſe cum rebuspublicis.

§. 4. *Secundo:* Lex humana ortum debet improbis, non probis. Nam improbi ſunt autores rerumpublicarum: Probi extra Rempubl. in libertate naturali vixerunt. Oſtendit id partim Scriptura Gen. IV. v. 17. partim latius id probavimus in lectionibus de Jure Decori.

§. 5. Probi igitur, i. e. Patriarchæ obſervarunt leges naturales, ut dictamina moralia absque jure vitæ & necis.

§. 6.

§. 6. Etſi igitur conſtat, primum Reip. autorem ante diluvium fuiſſe Cainum, etſi poſt diluvium Gen. X. Nimrod memoretur fuiſſe potens Dominus in terra, adeoque utcunque nobis conſtet de primis legislatoribus, ut certe pudere debeat, ſi poſt lucem Scripturæ ſacræ velimus inventores legum eruere ex tenebris fabularum gentilium; tamen ob defectum hiſtoriæ ſacræ non poſſumus conjectura probabili aſſequi, quales fuerint primæ leges & de quibus negotiis in ſpecie, ac quid diſpoſuerint.

§. 7. Id tamen in genere *tertio* moraliter certum eſt, primas etiam Reipublicæ Cainiticæ & poſtdiluvianæ leges neque ſecundum regulas prudentiæ conſultatoriæ in genere, neque ſecundum regulas prudentiæ LLatoriæ in ſpecie fuiſſe propoſitas, ſed profluxiſſe ex regulis utrique prudentiæ adverſis.

§. 8. Uti vero id fuſius ex dictis in lectionibus publicis de Hiſtoria Decori deduci poteſt, ita potiſſimum & ſummarium fundamentum ex eo petitur, quod origo ipſarum Rerumpublicarum non debeatur prudentiæ, ſed vitioſis affectibus, potiſſimum ambitioni & avaritiæ.

§. 9. Cæterum cum leges politicæ hodiernæ reſpiciant vel jura Perſonarum, vel jura Dominii, vel ſucceſſiones, vel contractus, vel Proceſſum, vel Pœnas, vel Regalia principis,

valde veroſimile eſt *quarto* initio Rerumpublicarum de Juribus Dominii, item de Contractibus paucas vel nullas leges eſſe latas, ſed dijudicata eſſe omnia ſecundum regulas Juris Gentium, ſimiliter in proceſſu easdem regulas fuiſſe obſervatas, *) teſtamenta vero plane non fuiſſe in uſu (utpote quæ & ſucceſſu temporis in pauciſſimis Rebuspublicis & fere ſolum apud Athenienſes & Romanos fuere uſitata.) Igitur intuitu juris privati vix veroſimile eſt leges multas fuiſſe publicatas, niſi forte ratione ſuccesſionum, quamvis & id fere Juris Gentium ſit, ut liberi poſt parentes, poſt Collaterales ſecundum proximitatem gradus ſuccedant.

*) v. Autoris diſſert. de Origine Succeſſionis rei teſtamentariæ.

§. 10. Et ambitio & avaritia regnantium magis exigebat jura condere, quibus ſub ſpecie utilitatis publicæ utilitas horum privata ſtabiliretur, & ſubditi ad nutum imperantium actiones ſuas uniformiter inſtituerent. Ergo veroſimile eſt leges publicatas primitus maximam partem fuiſſe ſollicitas de regalibus principum, & potisſimum de cultu externo idololatrico, porro de juribus ſingularibus perſonarum ſecundum diverſitatem ſtatuum, ſimul introducta Republica introductorum (qua de re iterum egimus in lectionibus de Hiſtoria

De-

Decori) ac denique de pœnis & proceſſu criminali, cum nulla lex naturæ vel gentium ullam pœnam determinet, & fines pœnarum requirant ſolennitates executionis, omnes autem ſolennitates ſunt arbitrariæ.

§. 11. Jam quemadmodum cultus ſacer apud gentes inter arcana ſtatus communiter eſt relatus, ita veroſimile, ejus ceremonias magis per obſervantiam ſacerdotum primitus eſſe introductas, quam per legum publicationem (in jure enim privato non niſi mores populi fere viguiſſe jam ex §. 9. dictis fluit) Regalia & pœnas Reges primi veroſimiliter fere pro lubitu exercuerunt, magiſtratus autem inferiores ordinationem circa officia ſua viva voce acceperunt a Regibus, & in pœnis vel imitati ſunt principum judicia, vel ex arbitrio proprio eas introduxerunt, vel etiam principes viva voce conſuluerunt, donec creſcentibus delictis opus fuit leges publicare viva voce, unde veroſimiliter leges pœnales ſunt antiquisſimæ. Auctis Rebuspublicis non improbabile eſt, ſucceſſiſſe etiam leges quasdam circa contractus, teſtamenta, ſucceſſiones, proceſſum, ſed omnes viva voce & ope præconis publicatas.

§. 12. Cum vero hic deficiant Hiſtorici profani, ex contextu Hiſtoriæ ſacræ facile probari poteſt, ſcripturæ ante Moſen nullum fuiſſe uſum, quod fuſius a nobis deductum in diſſer-

tatione de Colliſione Morum cum jure ſcripto §. 7. 8. 9 12. 13 16 18. 20. 21. unde & hactenus dicta ulterius declarantur & confirmantur.

§. 13. Cum igitur hæc ita ſe habeant, magna eſt inſipientia, ſi populus quicunque de antiquitate legum ſuarum aut legislatorum gloriari velit, partim quia ob defectum genuinorum ſubſidiorum hiſtoricorum hic nihil veroſimile doceri poteſt, ſed res facile in utramque partem diſputari; partim, quia tota disputatio non alium habet uſum, quam quæſitionem vanisſimæ gloriæ & ambitionis, cum vera felicitas & laus non dependeat ab antiquitate populi vel gentis, & a felicitate priſtina, ſed a conditione ſtatus præſentis. Sed ita ſunt mores hominum in Republica eminentium, quibus adulantur ſtrenue doctores Academicarum & alii eruditi.

§. 14. Ita e. gr. Carolus Lundius Upſaliæ 1687. edidit Tr. de Zamolxi primo Getarum Legislatore, in quo omnia dubia & incerta, præprimis quæ contra Conringium diſputat. cap. 3. p. 59. ſeq. & cap. 4. p. 93. ex Herodoto Zamolxis introducitur tanquam homo ſtulta & doloſa ambitione Divinitatis opinionem ſibi parans, adeoque ſuperſtitione, qua nihil peſtilentius, imbuens animos hominum. Denique cap. ult. p. 173. ſeq. in recenſendis legibus Zamolxis poſt magnum apparatum ma-

gnas

gnas nugas agit, loco legum Suecicarum præcepta communia omnium gentium recenſens.

Cap. VII.

De Lege Moſaica.

§. 1. Ergo primus Moſes leges ſcriptas publicavit. Cur publicatio illa neceſſaria fuerit, dixi jam in dicta diſp. de Colliſione Morum cum jure ſcripto §. 10.

§. 2. Valde autem veroſimile eſt Moſen duplicem legem publicaſſe Iſraelitis, primam quidem valde ſimplicem, dictamina rectæ rationis repetentem ac præcepta juſtitiæ & manſuetudinis inculcantem, in cultu vero divino pauciſſima præſcribentem. Cum vero populus Iſraeliticus in Ægypto idololatriæ maxime adſuetus Deum idololatria ſua & vitulatione irritaret; tum demum cultus ceremonialis tanquam jugum populo Iſraelitico fuit impoſitus, ea intentione primaria, ut per introductionem ceremoniarum aſſuetudini populi quidem ſe accommodaret, ſed tamen in plerisque legibus ſimul ab idololatria avocaret, quod thema peculiari tractatu de LL. Hebræorum ritualibus expoſuit erudite Johannes Spencerus Theologus Anglus.

§. 3. Probatur autem iſta hypotheſis potiſ-

ſimum ex prophetia Ezechielis cap. 20 v. 4. - 26. quem locum ita expoſuiſſe ex patribus Juſtinum Martyrem, Origenem, Hieronymum, Auguſtinum, Theodoretum notat eamque expoſitionem confirmat Spencerus lib. I. c. 1. ſect. 2. p. m. 6. edit. Belgic. qui & d. l. I. c. 6. ſect. 2. p. 109. ſeq. oſtendit, non recte translatum eſſe a Luthero verſ. 26. d. cap. 20. ap. Ezechiel. conf. Numer. 8. v. 17. c. 16. v. 1. 2. 3. ſeq. Deuter. 10. v. 8. Adminiculantur etiam alia loca Prophetarum, ut Jerem. c. 7. v. 21. ſeq. Jeſ. I. 11. 12. 13. 14. Pſ 51. v. 17. 18. & diſtinctius mentem hujus ſententiæ expoſuit Joh. Georgius Wachter de Spinociſmo Judaico p. 39 - 43.

conf Spinoſ. Tr. Theol. Polit. c. 17. p. 203. ſeq.

§. 4. Totam legem Moſaicam aliter dividunt & ordinant Judæi, aliter Theologi, aliter JCti.

§. 5. Judæi numerant in univerſum præcepta 613. eaque dividunt in affirmativa & negativa. Utramque claſſem ſubdividunt in duodecim domus. vid. Joſeph. Arndii Manuale legum Moſaicarum Part. I. ab initio, qui & ipſe easdem recenſet ex Simone Epiſcopio. Præcipuas ex illis ex catecheſi Rabbi Levi Barzelonitæ edidit Joh. Henr. Hottingerus ſub titulo Juris Hebræorum continentis leges 261. qui & multa habet in præfatione p. 1. ſeq. de communi illa diviſione in præcepta 613.

§. 6.

§. 6 Patebit autem ſimul ex lectione illorum duorum Autorum & locorum citatorum, quod illa diviſio omni fundamento careat, a genio Moſis abludat & ex ſuperſtitione Judaica oriatur. Adde iſtud inconveniens, quod, dum præcepta affirmativa a negativis ſeparantur, non ſolum animus diſcentis & interpretis diſtrahatur, dum de iisdem negotiis v. gr. de cibis, matrimoniis bis in diverſis claſſibus agitur, ſed & quod ſæpius occaſio detur inanibus quæſtionibus, cum affirmativa virtualiter negativa ſub ſe comprehendant, & vice verſa, & ſæpe logice quid affirmetur, ubi grammatice negatio eſt, ac præterea diſtinctio in leges affirmativas & negativas in genere non magnum habet uſum. Fuiſſe autem Judæos valde occupatos in ejusmodi quæſtionibus inanibus vel exinde conſtat, quod Chriſto etiam per modum tentationis propoſuerint talem quæſtionem de præcipuo & maximo præcepto inter illa 613.

§. 7. Theologi Chriſtiani dividunt Legem Moſaicam in Moralem, Ceremonialem & Forenſem, ac mixtas. Ex Cornelio a Lapide easdem recenſet Arndius in Parte ſecunda Manualis. A Scholaſticis autem inventa hæc diſtinctio, poſt reformationem a Melanchthone & Chemnitio tanquam diviſio uſitata, nota ac recepta in locos communes theologicos

trans-

tranſlata, ab hoc etiam fuſius explicata & quibusdam argumentis defenſa eſt. vid. Chemnitii Partem II. Locor. theol. f. m. 10. ſeq. Inde communiter poſtea ab autoribus Syſtematum & Compendiorum ac Locorum retenta fuit.

§. 8. Ego de ea diſtinctione jam in Diſput. Lipſienſi de Crimine Bigamiæ, tum in Inſtit. Jur. Divin. cœpi non admodum magnifice ſentire, murmurantibus quidem hactenus Antiquitatum Scholaſticarum defenſoribus, ſed rationibus meis ſummatim ibi poſitis non reſpondentibus.

§. 9. Pertinet autem inveſtigatio hujus doctrinæ primario ad JCtos & Politicos, quia legum definitio & diviſio fundamentum Jurisprudentiæ totius eſt. Unde ſi quid in hac doctrina erronee poſuerunt Scholaſtici, negligentia Theologorum noſtrorum non debet impedimento eſſe diligentiæ JCtorum,

§. 10. Non vero eſt quæſtio 1) an lex ceremonialis & forenſis ſint diverſæ ſpecies Judaici juris? quod nemo negabit. Unde nobis non obſtant argumenta potiſſima Chemnitii pro illa diviſione f. 11. quæ hoc aſſertum, quod non eſt in controverſia, magis probant, quam totam diviſionem. Quin potius exinde acceptamus, quod notat Chemnitius, ceremoniales non ſimul cum forenſibus legibus eſſe publi-

publicatas. Nam inde illuſtratur quod diximus §. 3. 2) Neque quæſtio eſt; annon in LL. forenſibus (aut etiam ceremonialibus) repetantur ſubinde principia Juſti & Decori communia. Nam uti de ceremonialibus hac parte dubito, ob naturam ceremoniarum, ita de forenſibus, i. e. omnibus illis legibus, quæ non pertinent ad ceremonias, nemo qui ſaltem prima principia genuinæ politices deguſtavit, id negabit.

§. 11. Quare nequaquam facimus cum eorum ſententia, qui diviſionem hanc legum Moſaicarum in Morales, Ceremoniales & Forenſes ideo oppugnarunt, quaſi nulla detur moralitas actionum interna, ſed omnis moralitas dependeat a voluntate Legislatoris. Nec adeo niſi per meram calumniam nobis contra iſtam diſtinctionem æque diſputantibus poterit affingi illa doctrina refutanda facile ex dictis Cap. 5.

§. 12. Propterea tamen non poteſt inferri, quod in legibus Moſaicis detur ſeparata claſſis legum moralium, non magis quam ſi quis exinde, quod Jus Romanum collectum ſit ex principiis naturalibus, gentium & civilibus, Jus illud in tres claſſes & ſpecies velit diſtinguere, quamvis in docendo multum proficiat, illa ſeparare.

§. 13. Sed quæritur: 1) an præter Jus forenſe,

ſe, quod ſtatim cum decalogo publicatum eſſe oſtendit cap. 20. & 21. Exod. & Ceremoniale, quod poſt publicatam Legem forenſem demum Moſi datum eſſe fatetur ipſe Chemnitius, detur tertia quædam diſtincta ſpecies Legis Moralis, i. e. Decalogi ſeparatim publicari a forenſibus & ceremonialibus? Quod negamus.

§. 14. Accedit, quod communiter ponant quartam ſpeciem legum mixtarum, quas & ſeparatim recenſet Arndius. Si igitur hæc eſt ſpecialis claſſis Legum, debuiſſet ſeparatim publicari: ſi non eſt, ſed ſimul publicata cum reliquis, ſequitur Deum in publicatione illa non adeo attendiſſe fundamenta diviſionis illius.

§. 15. Quæritur 2): an lex moralis, Decalogus & Jus Naturæ ſint ſynonyma. Hoc affirmant communiter non ſolum Scholaſtici, ſed & poſt Chemnitium noſtrates. Nos negamus.

§. 16. Nam 1) Decalogus eſt anguſtior lege morali, quia non omnes leges, quæ pro moralibus habentur ſub eo comprehenduntur, v. gr. leges matrimoniales Levit. 18. recenſitæ, quas communiter pro moralibus & jure naturæ venditant.

§. 17. Operam quidem dederunt Scholaſtici & has ſequentes noſtrates, ut in commentariis ad Decalogum omnes reliquas leges, quas pro moralibus habent, eo referrent. vid. Arn-

Arndii d. Part. 2. ſed hoc pacto nihil aliud fecerunt, quam ut auditores adſuefacerent contortis interpretationibus, per quas damnum irreparabile irrepſit in Theologiam. Declaratum eſt hoc exemplis ex ipſo Arndio, ſcil. ad præceptum quartum l. 1. 2. 3. 4. ad præceptum 5. l. 3. ad Sextum l. 1. 2. 3. (NB. Arndius hic omiſit concubitum cum menſtruata. Inquiſitum in rationem omiſſionis) Ad. 7. L. 8. & 9. &c.

§. 18. Semel autem admiſſo hoc modo explicandi Decalogum via aperta eſt multis doctrinis inconvenientibus. Ita v. g. dum initio ad quartum præceptum ſatis contorta explicatione retulerunt Præceptores, poſtea etiam torſerunt præceptum quartum, ut fieret pallium ſtultitiæ & erroris ac præjudicii autoritatis, dum communiter inculcatur eum peccare contra præceptum 4tum, qui diſſentit a Patris vel Præceptoris ſententia, ſed rationes ſui diſenſus cum reſponſione ad rationes diſſentientium etiam modeſtiſſime dat.

§. 19, 2) Decalogus eſt latior lege morali ob præceptum tertium, quod mere poſitivum eſſe oſtendit Spencerus eruditisſime. Contra noſtri Scholaſticos ſecuti mire ſe torſerunt, ut oſtenderent differentiam ejus, quod ceremoniale & morale eſt in dicto præcepto. vide iterum Chemnitium, qui f. 14. 6. n. 3. Sabba-

thum

thum ad leges ceremoniales refert, ſed tamen fol. 19. item fol. 50. ſeq. laborat, ut moralitatem ejus oſtendat, ſed miſere.

Seduxit interpretes male intellectus textus *Exod. XX. v. 11.* qui ſi jungatur cum Exod. XXIII. 12. & Devter. V. 12. ſeq. patebit triplicem rationem eſſe præcepti de Sabbatho: 1) memoriam creationis valde in idololatria Ægyptiaca obliteratæ. 2.) memoriam ſervitutis Ægyptiacæ. 3.) præſtationem officiorum humanitatis &c. Adde nunc Luc. VI. 1-10. XIII. 10-17. XIV. 1-7. Joh. V. 8-17. VII. 21-24. *Col. II. 16.* Gal. IV, 10. L. omnes Judices 3. C. de feriis. Ita ordinandi textus Veteris Teſtamenti Exod. XIII. 6. XVI. 4. ſeq. 22. ſeq. XX. 11. XXX. 12. XXXI. 12. ſeq. XXXV. 2. Lev. XXIII. Num. XXVIII. Devt. V. 12. ſq. XVI. 9. 10. 11. 1. Chron. XVII. 4. ſq. XXIV. 5. XXVI. 1. Hæc addita fuerunt in lectionibus publicis de Decoro.

§. 20. Viderunt ex Reformatis etiam alii ut Burmannus hunc errorem, quem incipiunt etiam ex noſtratibus jam nonnulli agnoſcere. Dictum hic de controverſia eam ob rem inter Theologos Holſatos, Johan. Schwarzium, Sigefridum Benzenium, Muhlium &c.

§. 21. 3.) Lex Moralis, uti communiter explicatur, latior eſt Decalogo per dicta §. 16. 4) Etiam Jus naturæ eſt latius Decalogo: quia nihil ibi de pactis ſervandis, de officio hominum in Republica viventium, de officio hominis circa ſermonem &c. diſerte vel plene traditur.

§. 22.

§. 22. 5.) Jus Naturæ etiam eſt anguſtius
:ge morali commmuniter ſic dicta, quia v.
r. inceſtus & aliæ doctrinæ matrimoniales
on poſſunt ex Jure Naturæ deduci.

§. 23. Effecit autem communis iſte error,
ıt miſere ſe torquerent Theologi noſtrates
n controverſiis de Conjugio cum uxoris ſo-
ore, cum Evnucho, de Polygamia &c. ita
ıt tandem Scherzerus & Oſiander faſſi ſint,
lebere legem moralem ſubdividi in legem
moralem naturalem & poſitivam, aut jus na-
turæ morale & poſitivum &c.

§. 24. Breviter: Non potuerunt ſuppe-
ditare Scholaſtici, utpote diſciplina juris na-
turalis deſtituti, verum, adæquatum & evi-
dens principium ſecernendi leges morales a
ceremonialibus & forenſibus. Unde ſecutæ
ſunt multæ diſſenſiones inter ipſos de Legi-
bus iſtis Moralibus, cum maximis ſcandalis
& ineptiis agitatæ, non ſolum in quæſtioni-
bus matrimonialibus, ſed & in aliis, v. gr. de
veſtitu muliebri viris non uſurpando, de Ma-
ſquaradis &c.

§. 25. Cum vero Theologi ſemel funda-
menta moralia a Scholaſticis poſita a tempo-
ribus Philippi Melanchthonis retinuerint &
in compendia ſua transtulerint, articulos fi-
dei ordinantia, factum inde eſt, ut poſtea
cum Grotius, Pufendorffius viri celeberrimi,

partim genuinum Juris Naturæ fontem, ſocialitatem, partim ineptias Scholaſticas in doctrina de jure naturæ modeſte oſtenderent, ut Theologi maxime laudabilibus conatibus horum virorum maximo niſu ſe oppoſuerint, & turbas in Eccleſia & Republica ad defendendam infallibilitatem ſuam excitaverint, ut facile ex ſcriptis Commentatorum in Grotium & Adverſariorum Pufendorffii patet.

§. 26. Et hæc etiam cauſa eſt, cur adhuc hodie a multis magis commendetur lectio Grotii, quam Pufendorffii, etſi poſterior multa clarius & verius docuerit, quam, qui primus glaciem fregit, Grotius. Videlicet Grotius hypotheſin Scholaſticorum de lege æterna Dei cum ſocialitate Ciceroniana conjunxit, Pufendorffius contra ſolam ſocialitatem ſtabilivit, rejecta doctrina Scholaſticorum ac evidentiſſime refutata. Deinde Grotius in multis aliis articulis abit magis a communiter recepta doctrina, quam Pufendorffius, itaque frequentior occaſio datur hæretificandi Grotii, ac ita per indirectum ſuſpectam reddendi auditoribus noviorem doctrinam juris naturæ.

§. 27. Peperit autem hic nævus alius. Nam inde deducendum, quod hodienum multi ex Theologis & hos cœce ſequentibus JCtis,

publice pariter ac privatim, in Scriptis & viva voce ſæpe inculcent: moralitatem actionum unice petendam ex verbo Dei; hominem irregenitum non eſſe idoneum ad capiendam doctrinam Juris naturalis, abduci ſtudioſos veræ ſapientiæ per doctrinas Grotianas, Pufendorffianas & ſimiles a vera pietate & genuino intellectu ſacrarum literarum &c.

§. 28. Multis incommodis laborare has ſententias præter alias rationes vel inde patet, quod verbum Dei, i. e. Scriptura ſacra contineat & promiſcue referat dictamina moralia ſeu leges Naturæ, leges pure civiles judaicas, leges ceremoniales, doctrinam item chriſtianam de ſumma moralitate & perfectiſſima; ſingula itaque ex ſuis principiis deducenda ſunt: dictamina moralia & Jus Naturæ ex philoſophia morum, non illa Ariſtotelico-Scholaſtica, ſed vere rationali, leges pure civiles & ceremoniales judaicæ ex Hiſtoria ſacra, & antiquitatibus Judaicis, doctrina Chriſtiana ex Evangelio. Falſum autem eſſe, quod irregenitus non ſit capax doctrinæ juris naturalis, vel ex doctrina Pauli liquet, Romanos docentis, quod Jus Naturæ ſit inſcriptum cordibus, haut dubie irregenitis Gentium.

§. 29. Porro uti piæ calumniæ ſunt, quod

ſtudioſi per doctrinas Pufendorffianas ac ſimiles abducantur a vera pietate &c. ita cordatiores facile ſubodorantur, quodnam intereſſe falſæ ſapientiæ lateat in iſtis doctrinis. Nimirum ut ſtudioſi a cultura ingeniorum per juſtas & legitimas ratiocinationes, & ab uſu rectæ rationis, quæ etiam in irregenitis donum Dei eſt, abducantur & maneant in perpetuis præjudiciis autoritatis, tanquam potiſſimis fulcris Clericatus Papalis vel papizantis: item ut prætextu quocunque pallietur inſufficientia reſponſionum adverſus objectiones, quæ a prudentioribus hodie contra errores communes Theologiæ ac Philoſophiæ Scholaſticæ etiamnum apud nos retentos moveri ſolent: ut diſcant ſtudioſi Jus naturæ ex Commentariis Scholaſticis in ſcripturam ſacram, & quæ ibi rationi rectæ adverſa inveniunt, piè, i. e. contra omnem rectam rationem credant ac rectam rationem tanquam tentationem Diaboli ſupprimant. Tum ut Juriſconſulti in legibus feeendis, corrigendis, emendandis non ex principiis domeſticis conſilia dent principi, ſed opus eſſe putent, in Prudentia Legislatoria ante omnia conſulere Theologos, eorumque dicta de ferendis & emendandis legibus tanquam oracula divina ſequantur ac ita ubique in aulis & curiis regnent Clerici,

Laicis vero & inter eos maxime JCtis parendi & ſputa lingendi gloria relinquatur.

§. 30. Ex eodem fonte, ſcilicet ex neglecto ſtudio genuinæ Philoſophiæ moralis & Juris naturæ profluit & hodierna controverſia de rebus adiaphoris, utraque parte controvertente, & ob hunc neglectum in ſcriptis ſe miſere proſtituente; in factis vero utraque pars, cum rationibus deſtituatur, ſub prætextu pietatis ſubdole tyrannidem affectat prope papalem, ut minimum per metum incuſſum autoritatem ſententiæ ſuæ conciliet. Non autem mirum, quod hodienum non habeant genuinum conceptum rerum adiaphorarum. Nam nec præcipui ac primi eorum præceptores habuerunt. vide e. gr. Chemnitium Locorum Commun. part. II. fol. 27. docentem: Idolum eſſe rem adiaphoram æque ut circumciſionem. Si JCtus talia dixiſſet, proh! quantus clamor eſſet oriturus de erroribus animas in æternam damnationem ſeducentibus.

§. 31. Sed ſatis de hac legum Moſaicarum diviſione. JCti vel nullum ordinem ſervarunt, ut apparet ex collatione legum Moſaicarum Ruffini, item ex alia collatione, quæ invenitur parte tertia Manualis Arndiani, vel ſecundum Decalogi ordinem *) Leges etiam Forenſes ordinarunt, ut fecit Johannes Cal-

vinus in Themide Hebræo-Romana, qua in re præeuntem habuit Wilhelmum Zepperum, Eccleſiaſten Herbornenſem in LL. Moſaicarum forenſium explanatione: vel ſequuntur ordinem Inſtitutionum, ut Paulus Voetius in Comment. ad Inſtit. vel Pandectarum, & ordinem edicti perpetui, ut Abraham Sauer in legibus politicis divinis.*

*) Hoc faciunt & Theologi communiter in Locis Theologicis. Præiviſſe credo Philonem, quem vide libro de Decalogo, item de ſpecialibus legibus.

§. 32. Jam uti ſola hæc recenſio ſatis indicat, in hac methodo multa deſideranda eſſe, ita fuit etiam intentio non ordinare omnes leges Moſaicas, ſed ſaltem forenſes & politicas, easque comparare cum Legibus Romanis & aliarum gentium. Id tamen inde notamus tanquam rem evidentem & a paucis obſervatam: Decalogum commodius referri ad leges politicas & forenſes, quam ad tertiam ſpeciem legibus forenſibus contradiſtinctam.

§. 33. Cum igitur ex dictis appareat, ex iſtis tribus diviſionibus & methodis proponendi Leges Moſaicas nullam ſe commendare ſtudioſis legitimi ordinis, mirandum eſt, cur non & Judæi, & Theologi & Juris-

Con-

Conſulti retinuerint ordinem Moſaicum. Id quidem haut dubie factum eſt, quod in legibus Moſaicis nullus ſit ordo, ſed interrumpantur non ſolum leges variis hiſtoriis, verum & ipſæ leges earumque recenſio oſtendat, eas non cum cura eſſe ordinatas, cum partim politica & eccleſiaſtica, partim publica, partim privata, partim, ea quæ ad proceſſum, partim ea, quæ ad jura partium pertinent, promiſcue recenſeantur, & ipſæ leges quoque non paucæ repetantur. (e. gr. Exod. XXII. 21. XXIII. 8.) Quænam vero ſit hujus non obſervati ordinis ratio, jam discutere non vacat.

§. 34. Antequam noſtram de methodo proponendi leges Moſaicas ſententiam aperiamus, duobus verbis notamus controverſiam de ordine & numero præceptorum Decalogi. Expoſita, illa fuit ex Voſſii Theſibus Theologicis Diſp. 24. M. Joh. Heinr. Häners Vorrede über Joh. d'Eſpagne neue Anmerckungen über die Zehn Gebote. Chemnitii Locis Communibus part. II. fol. 26. ſeq. (ubi miſere diſputat.) Etenim non tam taxandum eſt, quod in noſtris catechiſmis numerus præceptorum variet: dolendum eſt, quod præceptum de non facienda imagine plane non appareat. Iſtud enim haud dubie ex Papiſmo eſſe ad nos translatum de-

monſtrat Hiſtoria Eccleſiaſtica de Controverſiis ob Iconolatriam. Conf. Großgebauers alte Religion ex Joſeph Halls Cap. 10. ſect. 2. p. 848. ſeq.

§. 35. Qui igitur ſapientiam divinam in Lege Moſaica rite ſcrutari vult, quod hactenus, quantum ſcio, nemo fecit; eum oportet eas non ſparſim ſingulas conſiderare, ut communiter Gloſſatores faciunt in libros Moſaicos, nec exſcribere aut colligere ſententias aliorum præjudiciis philoſophiæ gentilis & papiſmi infectorum, ut quæ tantum confundunt, nec comparare ſtatim cum aliis legibus: quomodo enim juſte hoc fieri poteſt, ſi ipſe nondum calleam prudentiam Legum Moſaicarum; ſed ſepoſitis gloſſis, ac rejectis præjudiciis philoſophiæ gentilis & papiſticæ, Leges Moſaicas juſte diſponere, tum earum nexum ac rationes politicas probe conſiderare.

§. 36. Neque adeo initio ſtatim nimis anxie ſeparandæ ſunt Leges Ceremoniales a forenſibus; partim quia id exacte fieri nequit, fatentibus omnibus, quod multæ Leges dantur, quæ & hic ſunt mixtæ, partim quia cultus externus, qui in lege Moſaica Deo exhiberi jubetur, exhibetur ipſi tanquam Regi & Monarchæ in illa Republica Theocratica; quare & hæ intuitu illius Reipublicæ ſimul ſunt politicæ & foren-

forenſes ac adeo judiciales. Nam ille, qui contra faciebat, committebat verum crimen læſæ Majeſtatis. Ergo bene faciet, ſi omnes Leges Moſaicas conſideret tanquam politicas.

§. 37. Pertinent igitur Leges Moſaicæ omnes ad rite formandos mores gentis Iſraeliticæ in Ægypto maxime corruptos, & ſic omnes ſunt ſimul morales & politicæ. Formant autem mores vel ſingulorum absque reſpectu ad ſocietates, vel in reſpectu ad ſocietates.

§. 38. Ad primam claſſem refero Leges, quæ pertinent vel reſpiciunt animum hominis, h.e. ejus voluntatem, (nam de intellectu ſubtili & ſcholis ſpeculativum intellectum perficientibus nihil diſponitur) quod debeat diligere Deum & Proximum.

§. 39. Vel corpus ejus & circumſtantias corporis, ut leges de labore & quiete, de cibis, de munditie, & immunditie, de veſtitu &c.

§. 40. In ſecunda Claſſe I.) ſunt leges, quæ reſpiciunt ſocietates ſimplices: 1. nuptialem, 2. patriam, 3. dominicam.

§ 41. II.) quæ reſpiciunt ſtatum Patrumfamilias intuitu domus totius: leges videlicet de agricultura, de artibus & opificiis, de bonis immobilibus & mobilibus.

§. 42. III.) de officiis extra domum in genere, de principiis juſti & decori in genere.

§. 43. IV.) In ſpecie de officiis quoad ſermo-

nem, converſationem, delectationes & gaudia, triſtitiam & funera, de honore ſenum &c.

§. 44. V.) In ſpecie de juſto quoad modos acquirendi & effectus dominii, ſucceſſiones, contractus, delicta in concives.

§. 45. VI.) Porro de adminiſtratione juſtitiæ partim in judicio civili, partim criminali.

§. 46. VII.) de cultu externo Regis ſui, i. e. Dei, ubi & de jejuniis & votis.

§. 47. VIII.) De miniſtris Dei, ſacerdotibus, Levitis, Prophetis.

§. 48. IX.) de delictis in Deum & ejus miniſtros commiſſis.

§. 49. X.) de bello, pace, & fœderibus.

§. 50. Ad hæc capita puto commode referri poſſe omnes leges Moſaicas, eamque methodum eſſe maxime naturalem, facilem & ad meditandam ſapientiam divinam aptiſſimam.

§. 51. Nolumus tamen venditare pro perfectiſſima, aut aliis invidere, ſi faciliorem & commodiorem inveniant. Nam 1) methodus meditandi & docendi debet eſſe arbitraria, & lites de accurata & neceſſaria methodo plerumque ſunt inanes, ſecundum ea quæ docuimus in der Einleitung zur Vernunfft-Lehre cap. XII. §. 31. ſeq. & in Introd. ad Philoſophiam Aulicam cap. X. §. 3. 4. 2.) quia ſæpe contingit, ut una eademque lex vel etiam claſſis legum poſſe referri ad duos vel etiam plu-

res locos communes. Ita v. gr. Legem de immunditie, quam §. 39. ad claſſem primam retulimus, poteſt referri etiam ad officia ſacerdotum ſeu caput 8. claſſis 2. §. 47. Ita leges de Votis, quas retulimus ad claſſem 2. c. 7. §. 46. poſſent etiam referri ad §. 40. vel 41. ad jura patrumfamilias. Ita ſimiliter in eod. §. 46. Leges de jejuniis poſſent referri ad caput de cibis §. 39. &c.

§. 52. Et hæc etiam eſt ratio, cur multi multa capita ad leges ceremoniales ſeu ad cultum Leviticum retulerint, quæ nos ab iſto capite plane ſeparavimus & retulimus ad Claſſem I. qualia ſunt pleraque Claſſis I. §. 38. 39.

§ 53. Puto autem noſtram methodum ideo eſſe commodiorem, quia ſtudioſos magis ducit ad meditandas rationes morales & politicas, apertas & rationales, cum communis ſententiæ defenſores magis ibi, uti in omnibus ceremonialibus, quæſiverint rationes myſticas, i. e. obſcuras & ad palliandum Papiſmum aptiores.

CAP. VIII.

De Præſtantia Legum Moſaicarum.

§. 1. Tractarunt hoc argumentum pauci. Inſervire tamen ulterius meditantibus hic poterunt: Les Mœurs des Iſraelites par Mr. Fleu-

Fleury. Diſſertations de l'exiſtence de Dieu par M. Jaquelot, diſſertation troiſieme chapitr. 7. 8. 9. 10. p. 522 - 578. Extat etiam *) Tractatus du Sieur **) de Simonville, cui titulus: Comparaiſon des ceremonies de Juifs & de la diſcipline de l'Egliſe &c. cui præmittuntur Ceremonies & coutumes qui s'obſervent aujourdhuy parmy les Juifs, traduite de l'Italien de Leon de Modene Rabin de Veniſe. Huic tractatui quaſi opponi poteſt ſcriptum anonymi, cui titulus: Les conformités des Ceremonies modernes avec les anciennes, où il eſt prouvé que les ceremonies de l'Egliſe Romaine ſont empruntées des Payens. De ſingulis his ſcriptis dictum quoad uſum eorum & defectus. Potiſſimum autem commendatus eſt liber de Monſ. Fleury cum ejus reliquis ſcriptis.

*) Prodiit à la Haye 1682. 12. Man hat ihn auch lateiniſch unter folgendem Titul: Leonis Mutinenſis opuſculum de Ceremoniis & Conſuetudinibus hodie Judæos inter receptis, una cum Richardi Simonii Supplemento, Karræorum & Samaritanorum noſtri ævi hiſtoriam complectente, ejusdemque exercitatione qua ceremoniarum Judaicarum cum Diſciplina Eccleſiaſtica collatis Inſtituitur. interprete Joh. Valent. Groſſgebauer, Roſtochienſi. Francof. ad Mœn. 1693. 12.

**) Dieſer iſt niemand anders als der bekannte Pater Richard Simon.

§. 2. Ex antiquioribus Joſephus ſcripſit libros duos de Antiquitate Judæorum contra Appionem, in quibus etiam ſubinde mores Judæorum contra fabulas & calumnias Gentilium (quæ etiam apud Tacitum & Juſtinum legi poſſunt) defendit.

§. 3. Mirandum autem maxime eſt, quod caput neglectum ſit a Theologis, quibus præ reliquis incumbebat ſanctitatem Legum Moſaicarum tanquam divinarum oſtendere. Sed rationes, cur id neglectum fuerit, non ſunt longe quærendæ. Nam 1) dum præſtantiam Evangelii præ lege Moſaica oſtendunt, & Evangelium ac Legem inter ſe comparant quidam, in alterum extremum fere lapſi ſunt, & de Lege Moſaica non magnifice ſentiunt. 2) Si inquiſiviſſent in rationes politicas & morales, non tanti æſtimatæ fuiſſent explicationes multorum ex illis quodlibetariæ quas myſticas appellant, & quibus abutuntur ad ſomnia quævis pallianda. 3) Si populus intellexiſſet veram connexionem Legum Moſaicarum & differentiam Legis & Evangelii, non potuiſſent perſuadere plebi, quod bene applicent Legem Moſaicam in favorabilibus ad miniſterium Eccleſiaſticum Novi fœderis. 4) Accedit communis neglectus Principiorum veræ Philoſophiæ moralis & civilis, item Antiquitatum Judaicarum &c.

§. 4.

§. 4. Atqui hæc ultima ratio etiam danda eſt, cur & JCti hactenus dormiverint. Ad quam accedit etiam, quod JCti plerique glebæ Juris Juſtinianei fuerint adſcripti, nec putaverint ſibi licere propriis mentis oculis legere & intelligere ſacras literas, etiamſi Lutherus ideo Biblia S. in vulgare idioma transtulerit, ut intelligi poſſint ac debeant ab omnibus Laicis. Hinc Theologi non ſolum in conſiſtoria aſſumti, ſed & quandoque pro auctoritate ibi regnarunt.

§. 5. Cum igitur hac parte neminem fere hic præeuntem habeamus, non expectabitur a nobis, ut in negotio tam difficili rem plene tractaturi ſimus. Sed monſtrabimus ſaltem viam, qua eundum eſſe putamus aliis, qui plus otii habent.

§. 6. Quia legibus & moribus Gentium omnium talis ſtatus eſt introductus, per quem cives quotidie magis magisque irritantur in affectibus quietem animi turbantibus, ita tamen ut iis Tyranni uti poſſint tanquam inſtrumentis ambitionis, (ut latius deduximus in Hiſtoria Decori) & talibus moribus etiam imbuti erant Iſraelitæ in Ægypto; intendit Deus per Moſen tales leges condere, quibus admonerentur Iſraelitæ de quærenda ante omnia pace interna, atque ſtabilienda pace externa non ſolum in ipſa Republica, ſed & cum populis vicinis.

§. 7. Et quamvis ſupra cap. 7. §. 2. & 3. docuerimus, ceremonias cultus externi cum aliis quibusdam legibus poſt vitulationem Iſraelitarum iis a Deo irato eſſe datas, atque iis jugum cervicibus populi eſſe impoſitum, tamen & hic deprehendemus, in multis rationes politicas ſubeſſe cooperantes ſuo modo ad illam intentionem generalem Dei.

§. 8. Poterit autem iſte finis non melius obtineri, quam ſi 1) leges tales promulgentur, per quas populus diſponatur ad opera humanitatis reliquarumque virtutum communis amoris, quas expoſuimus in Introd. ad Philoſophiam moralem, omnibus civibus exhibenda. 2) Ut occaſiones ad affectus vitioſos voluptatis, ambitionis, & avaritiæ, quantum fieri poteſt, præſcindantur, etſi populus jam actionibus externis ex his affectibus vitioſis propullulantibus aſſuetus ſit. 3) Ut eæ gravibus pœnis coerceantur ſecundum leges prudentiæ pœnalis, quas adumbravimus aliquo modo in inſtit. div. libro 3. de Pœnis. 4) Ut tamen & in ipſis legibus pœnalibus ubique ratio habeatur humanæ imbecillitatis & ii ſaltem actus gravibus pœnis coerceantur, qui propius turbant tranquillitatem Reipublicæ, reliquis vel toleratis aut diſſimulatis, vel minoribus pœnis caſtigatis. 5) Ut Juſtitia de ſimplici & plano ac celeriter adminiſtretur. 6) Ut mores populi ita

ſinç

ſint compoſiti, ut illis non irritent vicinos populos ac ipſis juſtam cauſam belli præbeant, ſed officia humanitatis potius iis exhibeant, ut tamen 7) & cives, ſi vicini ex injuſta cauſa velint bello eos aggredi, ad belligerandum non ſint inepti. Atque hæc quatuor requiſita hactenus expoſita elegantisſime & ſapientisſime ſunt obſervata omnia in Legibus Moſaicis, quod declarabimus, percurrendo leges Moſaicas, & ſingulas debitis clasſibus asſignando.

Confer Philonem de charitate f. m. 446. ubi dicit, primarium ſcopum Legislatoris in omnibus juribus eſſe, ut concordia, ſocietas, conſenſusque morum vigeat, unde familiis, civitatibus, gentibus, regionibus, univerſo humano generi ſumma contingit felicitas. Addenda cura doctrinæ & ærarii, ubi de commerciis.

§. 9. *Clasſis I.* Legum inculcantium virtutes humanitatis &c. Exod. XX. 12 - 17. *XXI. 2 - 11.* XXII. 21-27. XXIII. 1 - 7. 9 - 12. Levit. XIX. 18. 32. *XXV.* XXVI. 3 - 13. Num. XXVII. 1 - 11. junct. XXXVI. Devteron. X. 17. 18. XV. XIX. 14. XXII. 1 - 4. XXIII. 19 - 20. 24. 25. XXIV. 6. 10 - 22. XXV. 4. XXVIII. 1 - 14.

§. 10. *Clasſis II.* Legum præſcindentium occaſiones & irritamenta peccandi. Exod. *XXI. 2 - 11.* 26. 27. 29. 35. 36. XXII. 5. 6. 14. 15. *25.* 26. 27. 28. 30. 31. XXIII. *8.* 13. 16. 19.

20. - *32* - *33*. Levit. III. *17*. IV. V. VI. *1* - *7*. item reliqua & Cap. VII. & ibi præprimis 19. - 27. *XI. XII. XIII.* præprimis *5*. *XIV. XV. XVII. 10* - *16*. *XVIII. XIX. 6. 9. 10.* - *18. 19* 23-31. 35. 36. *XXI. XXII. XXVI. 1. 2.* XXVII. Num. V. potiſſ. v. 11. - 31. VI. *Num. XV.* 37. - 40 XIX. 11. - 22. *XXX.* Devter. *XI. 18. 19.* XII. *23.* & reliquum Caput XIII. XIV. XV. *4* XVI. 1. - 17. 21. 22. XVII. 1. - 7. 14. - 20. XVIII. XXI. 15. 16. 17. 22. 23. XXII. *5. 12. 13. 21. 28. 30.* XXIII. 1. - 8. ubi Cleric. 17. 18. 21. - 23. XXIV. 7. XXV. 5. - 10. 13. - 16. XXIIX. 15. - 68.

§. 11. *Claſſis III.* peccata ſevere punientium Exod. XX. 1. - 7. XXI. 12. 14. - 17. 23. 26. *XXII. 18. 19. 20. XXXI. 14.* XXXV. 2 3. Levit. XX. XXI. 9. XXIV. 10. - 21. XXVI. 14. 41. Num. XV. 32. 36 Devter. XIII. 5. 9. 10. 15. ſeq. XVII. 5. *12.* XIX. 11. 12. 13. *15. 21. XXI. 18.* - *21.* XXII. 21. - 27. XXIV. 7. *XXV. 11. 12.*

§. 12. *Claſſis IV.* Imbecillitatis humanæ memorum. Exod. XX. *8.* - *11.* junct. XXIII. *12.* 14. 15. 16. *XXI. 13. 18.* - *22.* 28 30. - 30. 34. XXII. *1.* - *4. 16.* 17. *XXV.* - *XXXI. XXXV. XL.* Levit. *I. II. III.* VI. 1. - 7. XIX. *20. 21. 22.* XXVI. 42. - 45. Num. XXXV. 6. ſeq. Devter. *XII. 15. XVI. 11. 14. 15.* XIX. *1.* - *10.* XXI. *10.* - *14.* XXIV. 1. - 4. XXV. 1. 2. 3. XXX. 2. ſeq.

§. 13. *Claſſis V.* de cleri adminiſtratione Juſtitiæ Exod. XXII. 7. - 13. XXIII. 1. 2. 3. - 7.

Numer. XXXV. 30. ſeq. Devter. XVI. 18. 19. 20. XVII. *6. 7. 8. 12.* XIX. 15. - 21. XXI. 1. - 9.

§. 14. *Claſſis VI.* pacem cum exteris inculcantium Levit. XIX. 33. 34. XXIV. 22. Num. XV. 14. 15. 16. 26. - 32. Devter. XXIII. 3. - 8. 15. 16. XXV. 17. 18. 19. II. 4. ſeq.

§. 15. *Claſſis VII.* populum ad bellum aptum facientium, & in bello de pace & decoro ſtudentium. Devter. VII. 1. ſeq. XX. XXIII. 9. - 14. XXIV. 5.

§. 16. Hic vero rurſus obſervandum, quod in una lege ſæpe eſſe poſſit intentio multiplex, cum unius rei plures poſſint eſſe fines. Quare non anxie quærendum erit, utrum ad hanc, an ad illam claſſem lex aliqua referenda ſit. Accedit, quod & claſſes iſtæ uti ad componendum ſtatum Reipublicæ felicem omnes inter ſe connexæ ſunt, ut ſi una ſaltem claſſis omittatur, magnus fiat hiatus in utilitate Reipublicæ, ita & quædam claſſes ſibi propius cohærent. Non enim poterunt commode ſtudia virtutum inculcari, niſi aliis legibus præſcindantur occaſiones & irritamenta peccandi. Fruſtra hæc præſcinduntur, niſi proæretici peccatores graviter coerceantur legibus pœnalibus. Debent tamen Leges pœnales inſtar medicinæ eſſe & ſemper memores eſſe imbecillitatis humanæ: imo non poterit legislator incitare ſubditos ad officia humanitatis, niſi

&

& humanitas occurrat in legibus pœnalibus. Fruſtra porro ſunt Leges pœnales, niſi pœnæ executioni dentur alacriter, juſte tamen. Fruſtra ſunt præcepta virtutes inculcantia & præſcindentia irritamenta peccandi, niſi juſtitia celeriter, juſte tamen, adminiſtretur. &c.

§. 17. Ita præceptum de Sabbatho intendit ſubditos admonere manſuetudinis, dum jubet humanitatem eos exercere debere non ſolum erga homines, ſed & beſtias, & ſic præſcindit irritamenta avaritiæ, & crudelitatis, item incidendi in idololatriam Gentilium; dum intendit recordationem creationis mundi, quam negabant omnes idololatræ, ſtatuentes duo principia coæterna, Deum & materiam primam: ſimul coercet graviter pœna capitali violatores Sabbathi tanquam reos criminis læſæ Majeſtatis. Simul denique indulget imbecillitati humanæ; dum permittit, ut diebus Sabbathi & aliis feſtis populus lætetur & convivia celebret. &c.

§. 18. Quod vero tam paucæ ſint leges diſponentes de relatione Iſraelitarum ad populos extraneos, de quibus duas Claſſes ultimas formavimus, factum eſt partim, quia regulariter Legumlatio eſt regale, quod reſpicit relationem ſubditorum inter ſe & pacem intra Rempublicam, partim quia 1) æquitas erga vicinos, 2) ſtudium pacis in bello, 3) apti-

tudo ad belligerandum fluunt tanquam concluſiones ex claſſibus præcedentibus. Priora quidem duo ex aſſuefactione virtutum in Claſſe prima: tertium ex præciſis irritamentis vitiorum, potiſſimum luxuriæ & avaritiæ.

§. 19. Sed & illud monendum, quod non ſine ratione in plerisque LL. ceremonialibus aut quæ communiter ad ceremoniales referri ſolent, quæſiverimus rationes politicas easque maximam partem retulerimus ad Claſſem ſecundam §. 10. Etſi enim, ut recte deduxit Spencerus, Deus in iis intenderit primario revocare populum ab Idololatria, & ex interpretationibus myſticis de typis Chriſti (quæ quidem ſi debito modo & ſecundum textus Novi Fœderis adhibeantur, laudandæ ſunt) pleræque a patribus Eccleſiæ & noviori-bus quibusdam Theologis adhibitæ ſint contortæ, ut idem Spencerus monſtravit, deprehendet tamen quilibet attentus meditator Legum divinarum ſapientiſſimum Numen, etſi præ ſe ferret, quod populo ceremoniis immerſo velit ceremonias cultus externi dare, per quas reverentiam ipſi & obſequium teſtaretur populus, tamen tanquam aliud agendo etiam in iſtis ceremoniis ſimul intenderit præſcindere occaſiones & irritamenta affectuum vitioſorum, voluptatis, ambitionis & avaritiæ.

§. 20.

§. 20. Ita dum interdicitur, ne hædulus lactans coquatur, ne veſtibus muliebribus maſculus utatur, ne quis veſtimento ex lino & lana utatur &c. Item per omnes leges de impuritatibus & de diſtinctione ciborum tacite & per bonam conſequentiam moralem intenditur aliquid, quod uſum præbere poteſt in reprimendis affectibus iſtis vel præſcindendis eorum occaſionibus, ut ſuo loco per diſcurſum fuit oſtenſum.

§. 21. Imo ipſa avocatio ab Idololatria ſi intimius eam conſideres, non ſolum facta fuit, ut Deus gloriam ſuam & intereſſe aut honorem quæreret, etſi propter corruptionem populi in Ægypto eam cauſam ſæpius præ ſe ferant LL. Moſaicæ, ſed ut ſimul Deus paternum ſuum affectum iſtis LL. ſeveris palliaret, & iis revocaret populum a propria pernicie, quam ſibi neceſſario attracturus eſſet, ſi idololatricos cultus ſequeretur.

§. 22. Omnis enim Idololatria Gentium ſua natura eo tendit, & ab inventoribus ideo inventa eſt, ut affectus civium irritentur, & a ſapientia ac virtute avocentur ad ſtultitiam & vitia. Itaque apud omnes populos & quam maxime apud moratiores ſingula vitia ſuos Deos tutelares nacta ſunt, v. gr. apud Græcos Scortatio Venerem, Crapula Bacchum, Fraudulentia Mercurium, Violentia Martem, Injuſtitia Jovem &c.

§. 23. Optandum adeo eſſet, ut aliquis ſenſus myſticos illos morales & politicos ex legibus iſtis ceremonialibus erueret. Certus ſum, quod & hic labor magis gloriam Dei promoturus ſit, quam multæ affectatæ myſticæ interpretationes, aliorum. Ita enim ſapientia divina quoad prudentiam legislatoriam omnibus quaſi palpanda exhiberetur: cum illæ alterius claſſis interpretationes myſticæ parum emendent, & multas occaſiones dent, adſueacendi contortis interpretationibus.

§. 24. Conjungenda vero eſt cum conſideratione LL. Moſaicarum meditatio ſtatus totius populi, legibus his & moribus introducti. Deprehendes omnia ibi ſimplicia fuiſſe, ſed eo ſanctiora, quamvis ſapientia Gentium tales mores barbaros vocet & non moratos, utpote quibus moratum id eſt, quod ex regulis Pſeudo-decori fluit & vitia irritat.

§ 25. Ita quoad ſtatum perſonarum erant quidem Dominus & ſervus, maritus & uxor, Pater & Filius, Civis & Peregrinus: ſed non erat diſtinctum officium civis & militis: non erant Rex, Duces, Comites, Barones, Nobiles: ergo etiam nulli erant ignobiles. Virtûs nobilitabat, omnes erant æque liberi, & poterant virtute ſua ambire omnes dignitates,

Ita

Ita magnam partem præſcindebatur ambitio, quæ multum irritatur per nobilitatem ad liberos tranſeuntem.

§. 26. Omnes erant agricolæ, nemo mercator, qui cum exteris commercia haberet. Nemo poterat alienare bona extra familiam. Nullæ ſubtilitates in acquirendo dominio, aut in contractibus, nulla teſtamenta, nullæ uſuræ, nulla durities creditorum erga debitores, proceſſus judiciarius ſimplex & celerrimæ expeditionis, nullum juramentum teſtium, gravis pœna falſi teſtimonii &c. Nulli Advocati, Procuratores, nulli JCti. Ita præſcindebantur irritamenta avaritiæ. Ita nemo ſtudebat divitiis. Ita rari erant pauperes. Ubi enim nullæ divitiæ, ibi nulla paupertas; ſed omnes habent, quantum ſatis eſt; etſi hæc paucis contenta ſatietas in comparatione ad divitias aliorum pro paupertate habeatur.

§. 27. Omnes laborabant manibus (etiam Levitæ). Nulla diverſoria, nulla lupanaria, nulli loci luſibus deſtinati, nulla Pharmacopolia, nulli Medici, nulli loci publici &c. Ita præſcindebantur irritamenta voluptatis, & nulli ibi erant mendici, rari fures &c.

§. 28. Uno verbo quocunque te vertas, apparebit ſapientiſſime a Moſe juſſu divino Rempublicam fuiſſe ordinatam, ita ut neceſ-

ſario inde ſequatur, Rempubl talem natura ſua promittere magnam felicitatem & quidem temporalem, & durationem etiam, ſi modo populus illum ſtatum moribus ſuis conſervet & legibus iſtis obedientiam præſtet.

§. 29. Quare inſigniter fallitur & fallit Ex-Judæus Benedictus Spinoſa, dum putat ex intentione Dei & ordinatione Reipublicæ Judaicæ, illam Rempublicam neceſſarias ob cauſas legibus iſtis adſcribendas non potuiſſe diu durare. Etſi enim in Tr. Theologico-politico Cap. 17. præ ſe ferat, ac ſi præſtantiam Reipublicæ Judaicæ præ aliis regnis oſtendere velit, ac multa eam in rem argumenta p. 193. ſq. proferat, multa tamen ibi miſcet falſa & p. 203. ſeq. in eo eſt, ut demonſtret eius imperfectionem: imo jam Cap. 3. p. 33. non obſcure innuerat cœcæ fortunæ deberi, quod tamdiu duraverit Reſp Hebræorum.

§. 30. Poſtquam igitur oſtendiſſet p. 192. ſeq. Moſen revera inſtar Regis exercuiſſe omnem poteſtatem, poſt Moſen poteſtatem hanc fuiſſe diviſam cum ſacerdote: (p. 194.) occupatis autem terris promiſſis communes quidem fuiſſe ſacerdotes, ſed ſingulos tribus ſingulos habuiſſe Principes, adeoque eo intuitu fuiſſe magis confœderatas Respublicas quam unam, etſi communi cultu Dei unitam, (p. 196. ſeq.) quæ ſingula attentius examiami-

aminare jam non vacat; poſtea (p. 198) inquirit, quantum hæc ratio imperii conſtituendi animos moderari poterat, & tam eos qui regebant, quam qui regebantur, ita continere, ut neque hi rebelles, neque illi Tyranni fierent.

§. 31. Ubi inter cauſas a Tyrannide abſtrahentes refert 1) quod juris interpretatio non fuerit apud Principes tribuum, ſed apud Levitas & Pontificem. 2) Quod militia ex omnibus civibus (nullo a vigeſimo usque ad ſexageſimum ætatis annum excepto) formata ſit, & quod principes nullum extraneum militem mercede conducere potuerint, cum alias principes, qui populum opprimere velint, ſola militia ſtipendiaria id facere poſſint, quodque religio & leges prohiberent jus alterius violare, ita ut, qui tribum ſuam opprimere voluiſſet, communis hoſtis a reliquis tribubus fuiſſet habitus. 3) Quod timendus eſſet novus aliquis propheta, qui facile quibuscunque falſis miraculis populum ad rebellionem excitare poterat, qui metus adeſſe non poterat, ſi princeps juſte imperaret. 4) Quod Princeps reliquos nobilitate non excelleret, nec jure ſanguinis, ſed tantum ratione ætatis & virtutis adminiſtratio imperii ei competeret.

§. 32. Quod vero populus fuerit in devo-

tione retentus & quod eorum animi ad omnia ſingulari conſtantia & virtute pro patria tolerand fuerint firmati, factum fuiſſe dicit 1) ob libertatem ab omni humano imperio: 2) ex ſingulariſſima erga patriam devotione: 3) ex jure abſoluto in reliquos populos omnes: 4) quod non tantum licitum fuerit, ſed & pium, omnes populos odiſſe, eosque infenſos habere: 5) ex morum & rituum ſingularitate. 6) ex educatione in ſumma diſciplina obedientiæ: 7) ex obligatione ad otium & lætitiam certis anni temporibus (p. 200. ſeq.)

§. 33. Hic etſi in oſtendenda præſtantia Reipubl. Judaicæ multa afferat Spinoſa, quæ vera ſunt, & doctrinam noſtram confirmant & illuſtrant, multa tamen immiſcet etiam, quæ veneno periculoſæ & falſæ doctrinæ infecta ſunt, quorſum pertinet illud p. 200. quod (quaſi ex inſtituto divino) pium fuerit, omnes populos odiſſe: quam in rem falſo allegat Pſ. 139. v. 21. 22. Id enim dogma ex falſa Gloſſa Rabbinorum profluxiſſe docet Chriſtus Matth. V. v. 43. & ſeq. & refutatur inſuper illa ſententia, ex illis quæ excerpſimus ex Lege Moſaica ſupra §. 14. & 15. Unde non inſtituto divino, ſed perverſis moribus populi etiam adſcribendum eſt, quod ſcribit p. 201. odium in reliquas nationes ita quotidiano cultu fotum fuiſſe & alitum, ut in naturam verti debuerit, cum eorum cultus non

ſolum

ſolum diverſus fuerit a cultu aliarum gentium, ſed & eidem oppoſitus. Confundit enim Spinoſa carentiam amoris ſpecialis cum odio; amorem communem, cum amore peculiari; cautionem cum odio: & quæ conſequentia odiſſe debeo alios, quia non eodem modo Deum colunt. &c.

§. 34. Illud etiam notam meretur, quod Spinoza p. 202. *educationem populi Iſraelitici in ſummam obedientiæ diſciplinam* ſpecie quidem laudat, re ipſa tamen vituperat, dum eorum vitam dicit fuiſſe continuum (in omnibus actionibus maxime indifferentibus) obedientiæ cultum, quare eidem omnino adſuefactis ipſa non amplius ſervitus ſed libertas videri debuerit. Ubi ſane non obſcure leges Moſaicas taxat, quod *ſervilia ingenia* effecerint, quæ facile refutantur ex iis quæ diximus ſupra c. 7. §. 2. & 3. juncto §. 19. - 23. hujus capitis.

§. 35. Unde jam facile refutantur ea, quæ Spinoza p. 203. profert in exponendis cauſis, quare factum ſit, ut *Hebræi toties a Lege defecerint*, cur toties ſubacti fuerint, & cur tandem imperium omnino vaſtari potuerit. Initio p. 203. puerile eſſe dicit, ſi quis id eveniſſe dicat *ex ſingulari gentis contumacia*, ſed potius adſcribendum eſſe vult *vitia legum* ve *receptorum* (i. e. ex ſtatus ordinatione profluentium) vel *morum*. §. 36.

§. 30. Hic quod prius attinet, facile concedimus, multos intempeſtivos interpretes de peculiari contumacia Judæorum absque judicio & penſitatione naturæ humanæ multa deblaterantes, rem acu non tangere, ſed propterea tamen etiam ſi Judæorum natura cum natura aliorum populorum comparetur, vitium Legibus non eſt adſcribendum; ſed poteſt communis generis humani poſt lapſum contumacia, quæ & *in Judæis ſe exeruit*, in cauſa eſſe. Ita communis *mortalitas* in cauſa eſt, quod medicamenta non poſſint a morte liberare. Manent tamen bona medicamenta, quæ vitam diu conſervant, nec eſt vitium medici aut medicinæ, quod nulla detur herba contra mortem. Ut taceam eo reſpectu populum Iſraeliticum omnino recte dici *contumaciorem* reliquis, ſcilicet propter varia miracula & documenta iræ divinæ. Ita Chriſtus comparat Chorazin & Bethſaida cum Sodoma & Gomorrha. Porro ut quidem recte dicit Spinoza contumaciam populi adſcribendam eſſe eius moribus, in eo tamen errat, quod mores illos putet legibus eſſe introductos. Attulerant enim mores iſtos Israelitæ in deſertum ex Ægypto. Debuiſſet igitur, ſi Leges taxare voluiſſet Spinoza, taxare Leges Ægyptiorum, non Moſaicas. &c.

§. 37.

§. 37. Hinc ſua ſponte ruunt, quæ apud Spinoſam ſequuntur (d. p. 203.). Quodſi Deus eorum imperium conſtantius voluiſſet, aliter etiam jura & leges condidiſſet, aliamque rationem id adminiſtrandi condidiſſet: quare nil aliud dici poſſe, quam quod Deum ſuum iratum habuerint jam inde a legibus conditis: (it. p. 204.) Quod ſatis mirari non poſſit tantam animo cœleſti fuiſſe iram, ut ipſas leges animo ſe vindicandi condiderit, i. e. ut leges non leges, h. e. populi ſalus, ſed potius pœnæ & ſupplicia viſa ſint: (repete hic dicta §. 34. in fine.) Omnia nimirum, quæ Levitis dare debebant, eos continuo ſuæ impuritatis & repudiationis arguiſſe, eamque haud dubie iis ſæpius a Levitis fuiſſe exprobatam, contra populum continuo obſervaſſe vitam Levitarum, & ita perpetuos rumores fuiſſe (hæc enim absque veritatis ſpecie a Spinoza dicuntur, confundente aperte vitia Theologorum ſpeculativorum cum Levitis, quos adeo inepte otioſos homines appellat.)

§. 38. Neque ſine cenſura dimittenda ſunt, quæ Spinoſa habet de emendatione legum Moſaicarum (p. 204. ſeq.). Quod ſi, inquit, ex prima intentione Reſpublica conſtituta fuiſſet, jus omnibus tribubus & honor æqualis ſemper fuiſſet & omnia ſecuriſſime ſe

habuiſſent. Quin imo, pergit, nihil timendum fuiſſet, ſi ipſa Levitarum electio aliam cauſam quam iram & vindictam habuiſſet. Hac enim ratione (concludit p. 206.) imperium Iudæorum æternum eſſe potuiſſe. Quemadmodum autem hic vacillet Spinoſa, ita, ut modo privilegia Levitarum cauſam corruptionis faciat, modo hæſitet, & quæ §. præced. ex ipſo excerpſimus, plane deſtruat iterum, ita maxime fallit, ſi putat æternam futuram fuiſſe rempublicam & prudentiſſime ordinatam, ſi cultus Leviticus non fuiſſet inſtitutus & æqualitas in jure ſacrificandi fuiſſet omnibus tribubus relicta. Nam hoc ultimum Spinoſæ conſilium potius ex imprudentiæ quam prudentiæ regulis eſſe derivatum, inde conſpicere licet, quod nimirum valde inclinabant Iſraelitæ ad cultum idololatricum, uti ſatis vitulatione ſua indicabant. Si igitur reliquis tribubus jus ſacrificandi fuiſſet relictum, continuo prolapſi eſſent in idololatriam & cupiditates vitioſas cum idololatria neceſſario coniunctas. Ita enim factum eſſe ſæpius, probat integer liber Iudicum. Sed poſito fuiſſe etiam tum temporis nullam rationem, Deum moventem, ut legem ceremonialem daret, ſed ita diſpoſitos fuiſſe animos populi, ut illis ſufficeret lex ſimplex, moralis & politica: non tamen

promitti potuiſſet æterna duratio reipublicæ Iudaicæ ob perpetuam mutabilitatem & malitiam cordis humani in vitia proni, quam impedire quidem aliquo modo, & ad tempus etiam diuturnum, non tamen tollere plane poſſunt ſapiens educatio, aut etiam leges quamvis ſapientiſſimæ.

§. 39. Reliqua, quæ adverſus Spinoſam forte monenda ſunt, peti poſſunt ex meditatione eorum, quæ diſſerit Regnerus a Mannsfeld in refut. tractatus Spinoſiani Cap. 22.

CAP. IX.
Nullas dari Leges ſapientiores Moſaicis.

v. Ioſephus lib. II. contra Appionem. fol. 860. ſeq.

§. 1. Vidimus hactenus ſapientiam Legum Moſaicarum quaſi a priori. Iam etiam perluſtremus eam comparative in relatione ad Leges aliorum populorum. Ubi recte ipſe Moſes Devter. V. v. 8. nullum dari populum, qui tam juſtas & ſapientes Leges habeat.

§. 2. Scilicet uti origo primæ Reipublicæ fuit ex ambitione ac avaritia, ita etiam fuerunt reliquæ apud Gentes & conſequenter Leges omnium Rerumpublicarum fuerunt poſitæ, ut ſint inſtrumenta ambitionis & ava-

avaritiæ. Inde multum etiam irritarunt ſubditorum ambitionem & avaritiam, & multum tamen indulſerunt voluptati ſubditorum, ut latius diximus in lectione de Jure Decori.

§. 3. Porro etſi nimia Tyrannis Imperantium aut etiam nimius appetitus libertatis ſubditorum id effecerint, ut ejectis principibus formam Reipubl. introduxerint & novas leges condiderint aut etiam novis LL. mores corruptos emendare intenderint: tamen & hæ leges parum prudentes fuerunt, partim quia & ipſi LLatores, quibus uſi ſunt, clanculum quæſiverunt ipſis Legibus Tyrannidem, aut certe vel nobilium vel plebis ſuppreſſionem, partim quia tantum quæſiverunt unius vel alterius defectus emendationem, partim quia omnes LLatores reliquarum Gentium deſtituti fuerunt fundamentis veræ ſapientiæ.

§. 4. Suppoſuerunt enim omnes 1) Hominem eſſe creaturam, etiam hodie nobiliſſimam & perfectiſſimam. 2) Perfectionem illam conſiſtere in ſpeculationibus rerum verarum (etſi non utilium) in intellectu & in libertate voluntatis, ex recto uſu intellectus oriundarum. 3) Inter homines illum eſſe præſtantiorem, qui vel ſpeculatione rerum ſublimium ſe abſtraheret a conſortio hominum & in quiete ac otio viveret liber ab omnibus affectibus, (hic eſt fons philoſophiæ gentilis) vel

vel qui ſpeculatione actionum humanarum aſtutus fieret, (quod Prudentiam vocabant) ut aliis hominibus pro ſuo lubitu ad quæ vellet, uti poſſet, & qui intuitu voluntatis audax eſſet ad quævis pericula contemnenda (quod *Fortitudinem* dixerunt), & ita libertatem ſuarum actionum non ſolum defenderet vi ab imperio aliorum, ſed & alios vi voluntati ſuæ ſubigeret, hoc eſt, qui inſigni fraude ſpeciem tamen *Iuſtitiæ* præ ſe ferente & audacia polleret, ac his furiis impulſus magnas, id eſt, non vulgares actiones ederet (quod *Magnanimitatem* dixerunt). Hos enim Heroes appellarunt, tales certe fuerunt omnes Heroes Gentilium, Theſeus, Hercules &c. uno verbo homines inſigniter ambitioſi & avari, quique adeo ab actibus voluptuoſis maxime abſtinerent, & *temperantes* vocarentur.

§. 5. Unde habes ſimul fontem quatuor illarum pſeudo virtutum cardinalium, Prudentiæ, Fortitudinis, Temperantiæ, Juſtitiæ; & cur apud Ariſtotelem Fortitudo ſit prima virtus, item cur apud ſcriptores claſſicos v, gr. apud Curtium &c. nomen virtutis ſimpliciter poſitum denotet fortitudinem bellicam, conf. omnino Plutarchum in Coriolano f. 195.

§. 6. Ex his vero omnibus pateſcit, quod in Rebuspubl. Gentilium ſcopus primarius fuerit magis ſtudium Belli, quam ſtudium Pacis,

Unde & Machiavellus docuit: Religione Chriſtiana maxime impediri fortitudinem bellicam, contra quod aſſertum diſputavit B. Iacobus Thomaſius.

Eandem tamen ſententiam defendit Bayle, Penſ. diverſ. ſur la Comete part. 2.

§. 7. Hoc vero ſuppoſito exulabant in Legibus Gentilium vel illæ Claſſes omnes cap. præced. §. 9. & ſeq. recenſitæ, ob quas ſapientiam LL. Moſaicarum admirati ſumus, (puta 1. Leges inculcantes ſtudium humanitatis & beneficentiæ. 2. Leges præſcindentes occaſiones & irritamenta, voluptatum, ambitionis & avaritiæ. 3. Leges (NB. omnia crimina, quibus turbatur pax & tranquillitas publica) ſevere punientes. 4. Leges imbecillitatis humanæ memoriam præ ſe ferentes. 5. Leges de plana & celeri juſtitiæ adminiſtratione. 6. Leges de Converſatione placida ſed cauta tamen cum vicinis. 7. Leges de præparatione populi ad bellum juſtum defenſivum, & ad ſtudium pacis in medio bello) vel etiam ſi leges tales deprehendas, quæ forte poſſint prima fronte ad unam vel alteram claſſem referri, certum tamen erit, nullas eſſe Leges Gentilium, quæ omnes illas claſſes contineant. Si vero una ſaltem exulet, Leges non erunt prudenter poſitæ & reliquarum claſſium etiam nulla ſperanda erit obſervatio

ob

ob intimam harum claſſium connexionem,de qua vide ſupra Capit. præced. §. 16.

§. 8. Probantur dicta exemplis omnium LL. de quibus conſtat, ſed tempus non patitur, ut ſingulas examinemus. Igitur nominabimus ſaltem Autores & digito quaſi indicabimus præcipuas Leges & mores, in quibus hic defectus evidens eſt.

§. 9. Ægyptiorum LL. & mores præcipuos refert Diodorus Siculus lib. 2. f. m. 34. ſeq. Biblioth. Hiſt. cap. 3. ſed non omnes tamen, verum illas ſaltem, quæ comparationem habuerunt cum moribus Græcorum vel Romanorum. Hic notanda *primo* crudelitas pœnarum in parricidas, (nimia lenitas in parentes liberos interficientes) in eos qui ſecreta revelarent, qui falſum committerent, qui viatorem a latronibus invaſum non defenderent, qui adulterium committerent (voco ideo crudeles, quia melius fuiſſet morte necare: cum perpetua eaque gravis ignominia crudelior ſit morte). *Secundo:* irritamentum ad fraudes & injuſtitiam in Lege de licentia furti. *Tertio:* ſuperſtitio idololatrica nimia Ægyptiorum omnibus decantata. Vide Herodotum & Spencerum de LL. Hebr. Ritualibus, in Indicibus, Hermanni Witſii Ægyptiaca, ſive de Sacrorum Ægyptiorum cum Hebraicis collatione, Marshami Cano-

nem Chronicum. Apud Witſium plurima invenies ad ſcopum noſtrum pertinentia, præprimis lib. 2. cap. 4. ubi Plutarchum notat, & cap. 6. ubi de ſcortatione & inceſtu Ægyptiorum ac licentia furtorum agitur atque ſimul Diod. Siculus notatur.

§. 10. Idem Diodorus lib. 12. f. m. 278. ſeq. in referendis & commendandis Charondæ Thuriorum LLatoris Legibus oratorem magis agit quam Philoſophum. Nam & in illis quas recenſet, multæ ſunt, quæ notam merentur ob nimiam pœnarum duritiem & oblivionem imbecillitatis humanæ, etſi prima fronte juſtitiæ ſpeciem præ ſe ferant; qualis eſt illa de non inducenda liberis noverca, de pœna calumniatorum, de confabulatione civium, de pœna fugientium in prælio &c. Iſta vero de ſcholis publicis & adempta parentibus educatione in bonis moribus, variis obſervationibus ſubjecta eſt, hic non expediendis, cum id alibi *de Origine videlicet ſcholarum* actum ſit. Lex de Tutoribus prudens eſt, etſi diſpar a moribus Romanorum & noſtris. Durior etiam illa de eo, qui Legis mutationem populo ſuadere velit, & qua facile Legislator viam ſibi ſternere poſſit ad tyrannidem. Ipſa denique morte ſua teſtatus eſt, vel ſe imprudentem fuiſſe in legibus ferendis, vel imprudentiorem in Legibus interpretandis.

§. 11.

§. 11. Eadem eſt ratio Legum a Zaleuco
ocrenſium Legislatore latarum, quas re-
ert idem Diodorus d. lib. 12. f. 283. In præ-
itione Legum magis adhortationes ſunt,
uam Leges proprie dictæ, cum ſanctione
eſtituantur. Vitium etiam eſt, quod ſin-
ulos pene caſus ſingulis Legibus coercere
oluerit, id enim parit parum aptam Legum
ultitudinem. Lex de coercendo luxu mu-
ebri eſſet ſufficiens ad impediendum luxum,
ui nondum in uſu eſt, non ad coercendum,
ui jam moribus obtinet. Reliquas ejus Le-
es collegit Ioh. Wilh. Engelbrecht peculiari
iſſertatione Anno 99. edita, ubi durior illa
e prohibito vino ægris ſine conſenſu medici
ub pœna capitali: ita de puniendo adultero
er excæcationem. Neque ejus factum, dum
bimet ipſi erui curaret unum oculum, ut
num filio adultero ſervaret, eam laudem
eretur, quam communiter dare ei ſolent.

§. 12. Sequitur, ut de Lycurgi, Lacedæ-
oniorum, & Solonis, Athenienſium, Le-
islatoris Legibus dicamus. Ante Lycur-
um Draco Legislator leges tulerat, quas
ollegit Pandulphus Pratejus in Jurispruden-
ia vetere, & exinde excerptæ leguntur in
Tom. I. Obſerv. Select. VIII. §. 3. adde Meur-
ium in Solone cap. 13 p. 44. ſeq. commu-
iter hæ leges male audiunt ob nimium rigo-

 rem,

rem, unde & ſanguinariæ dicuntur, nec excuſat eum, ſed potius ſanguinolentum Draconis animum teſtatur ejus excuſatio apud Meurſium dicto loco: exigua delicta mereri pœnam capitalem, ad magna majorem pœnam non dari.

§. 13. Quod itaque o) Lycurgum attinet, Plutarchus in ejus vita rem totam *) narrat f. m. 37. ſeq. Id commune habuit cum aliis gentilium LLatoribus, quod finxerit, juſſu divino Apollinis legum mutationem & juberi & approbari. Revera tamen invaſor fuit, cum populum coegerit vi ad Legum lationem hanc ipſi concedendam. fol. 39. Senatus ordinatio etſi laudetur a Plutarcho tanquam temperamentum inter poteſtatem regiam & popularem; non tamen fuit ſufficiens ipſo Plutarcho fol. 40. agnoſcente ad mala Reip. tollenda, quare poſtea **) ephori creati ad coercendam ambitionem & Regum & Senatorum: Agrorum diviſio nova in portiones æquales. fol. 40. Nummorum ferreorum magni ponderis introductio fol. 41., & his introductis artium inutilium ad luxum pertinentium (puta Rhetorum, Ariolorum, Lenonum, auri & argenti opificum) tacita abrogatio: Porro luxuriæ abrogatio per convivia publica & communia omnibus obſonia, puerorum adſuefactio ad frugalitatem & jo-

cos

:os ferendos: domum itio abſque facibus; ›miſſa legum in ſcripturam redactio; coercitio luxus ædium & ſupellectilis; Prohibitio æpius frequentandi belli cum iisdem hoſtibus, educatio virginum non mollis ſed par ducationi virorum in exercitationibus publicis: coerçitio cœlibatus cum ignominia; aptus conjugum & clandeſtinus ac quaſi urtivus cum iis congreſſus; extirpatio Zelotypiæ per aliam ſpeciem communionis uxorum, & quod liberi non eſſent parentum proprii, ſed quaſi communes civitatis; Educatio ublica infantum, & probatio recens natorum an bene conſtituti corporis eſſent; inſtitutio puerorum tota eo tendens, ut obtemperare imperiis, perferre labores, vincere in prælio ſtuderent ſive vi ſive fraude, uam in rem furto clandeſtino adſueſiebant; uæſtiones puerorum de actionibus hominum; adſuefactio ad ſermones & cantus Laconicos; Bellum adverſus reſiſtente, cruentum, erga dedentes placidum; aſſignatio ublica quam quis functionem in civitate gere deberet, conjunctam tamen c m libe i otio ob ceſſantes artes illiberale ; ſublao controverſiarum forenſium; oc honeſti riſus ſimulacrum; ex his omnib s ortus aximus amor patriæ, Electio opt morum temperantiſſimorum ex ſenibus in ſenatum

 cum

cum poteſtate judiciali vitæ & necis, horum electio ſine affectu & corruptionibus facta: luxus omnis & vanitatis ſepulturarum abſciſſio; prohibitio peregrinationis & peregrinorum tolerantiæ, ne urbs pravis moribus infeſtetur, honeſtiſſima circumventio Spartanorum, ut jurejurando adigerentur, ne leges has mutarent, hæc omnia inquam, uti maxime commendantur a Plutarcho, ita videntur etiam prima fronte ſtatuta ſapientiſſima, præprimis ſi conſideres populum Lacedæmoniorum per 500. annos, quamdiu ſecundum has Lycurgi leges vixerunt, glorioſe & beate vixiſſe. Addatur Xenophon integro tractatu de Republ. Lacedæmoniorum. Autor Anonymus de Lacedemoine antique & moderne (citatus Bælius in Dictionario Critico, voce Lycurgue) confer diſp. noſtram de contentione morum cum Jure ſcripto. §. 37.

conf. & Plutarchi comparationem Lycurgi & Numæ.

o) Lancellottus in libro: Farfalloni (vielleicht Fauallοni) degli antichi Hiſtorici cap. 52 - 57. multa de Republica a Lycurgo formata in dubium vocat.

*) Germanice refert Löhneiſen p. 259. ſeq.

**) Videndum, an non Ephori fuerint ſimiles tribunis plebis Romanorum.

§. 14. Uti vero non diffitemur in Inſtitutis

Ly-

Lycurgi, multa comprehendi egregie bona, in ejusque legibus majorem apparere prudentiam, quam in LL. forte Athenienſium aut aliarum Rerumpublicarum; in comparatione tamen ad leges Moſaicas facile ab his multis modis vincuntur, cum multa ſint, quæ & in his ipſis Lycurgi legibus prudentiæ Legislatoriæ & veræ Rerumpubl. felicitati repugnant. Ut enim taceam ſubtilem ambitionem vi ſe ingerentis in hanc poteſtatem Legislatoriam, & dolum non excuſandum, quo finxit ſe ſtatuta illa ab Apolline accepiſſe, per quem non potuit non populus Spartanus in idololatrica ſuperſtitione maxime noxia confirmari; merentur inſuper multa notam, facile ipſis verbis Plutarchi demonſtrandam, ex qua apparebit, peccaſſe Lycurgum adverſus principia prudentiæ LLatoriæ; confer ſupra n. 4. & 7. Huc pertinet initio quod Ariſtoteles jam notavit: conatum quidem etiam fuiſſe Lycurgum Mulieres modeſtiam docere, deſtitiſſe tamen ab incepto victum licentia nimia earum inque viros imperio ex crebris virorum expeditionibus orto, ob quas coacti omnia in earum poteſtate relinquere & magis quam conveniret, eis obſecuti ſint, dominasque appellaverint. Et fruſtra hæc negaſſe Plutarchum facile patet ex mox ab eodem laudato apophthegmate uxoris Leonidæ.

§. 15. Porro huc pertinet iſta magna contentio & æmulatio virtutis (i. e. audaciæ bellicæ. vid. ſupr. n. 4. & 5.) excitata per laudes & glorias apud virgines: denudatio virginum, non ſimplex quidem ſed in exercitiis gymnaſticis, ubi varia agitatione corporis non potuit non petulantia & libido excitari: congreſſio furtiva & clandeſtina cum propriis uxoribus ſine lumine: quo pacto haud dubie multis adulteriis via fuit aperta: illa quaſi communio uxorum, quæ male a Plutarcho defenditur exemplo canum & equarum: & male etiam Plutarchus antiquiora tempora cum poſterioribus comparat. Fatetur enim levitatem mulierum Laconicarum ſubſequentibus temporibus (de qua multa congeſſit Bælius d. l.). Hæc vero neceſſario ortum duxit ab illis moribus, & fruſtra ac per luſum vocum putat illo tempore non fuiſſe creditum dari inter illos adulteria: & vaniſſimum eſt apophthegma Geradæ ibi relatum. Qua enim ratione ſibi quis perſuaderet, fœminas Laconicas abſtinuiſſe ab adulterio, quæ amori nefando pariter operam dabant atque viri & ſenes.

§. 16. Furta vero illa Lacedæmoniis permiſſa, etſi proprie non magis ſint furta, quam furta illa Ægyptiorum, de quibus §. 9. diximus, irritarunt tamen & excitarunt fraudes,

des, inhumanitatem, avaritiam, ſtultam ambitionem &c. Adſuefiebant etiam ad maledicentiam & rixas quæſtionibus illis intempeſtivis de actionibus ſingulorum, iſta ad audaciam, pugnas & rixas, cavillos item & jocos ſcurriles excitatione, etiam ab ipſis ſenibus facta.

§. 17. Neque laudari meretur iſta ad ſorditiem aſſuefactio juvenum, turpis & diſſolutæ voluptatis comitem, iſtud illiberale otium Spartanorum fruſtra a Plutarcho otii liberalis nomine inſignitum. Uti & illa carentia Zelotypiæ, quam tantopere commendat Plutarchus, index eſt animi diſſoluti plane & turpiſſimis voluptatibus præditi. Et riſus ſimulacrum a Lycurgo erectum monſtrat, nec ipſum nec ejus cives ad prudentiam gravem & decoram fuiſſe adſuetos. Et nihil turpius de viris dici poteſt, quam quod in laudem quaſi eorum a Plutarcho affertur, omni tempore pacis omnes in choris, conviviis, feſtivitatibus, venationibus, confabulationibus fuiſſe.

§. 18. Porro iſta Electio in ſenatum per clamores populi, etſi primo intuitu videatur eſſe prudentiſſima & omni ambitu carens, re tamen penitius inſpecta patet, eſſe modum abſurdiſſimum: an non enim ambitu potuit comparari clamor iſte populi, ejusque exten-

tenſio & diuturnitas: Et quid abſurdius, quam virtutem viri honeſti judicare ex clamore populi, qui ſæpe plaudit mimis turpiſſimis. Eadem dicenda ſunt de triumpho quaſi mulieris, quæ a novo ſenatore portionem cibi acceperat.

§.19. Uti vero Lycurgus laudandus, quod & luxum in ſepulturis cohibuit, & luctus modum poſuit, & injuria multis vapulat, quod nimio rigore uſus erga peregrinos, ita tamen non ſana ſunt, quod *in urbe ſepulcbra, & prope templa*, permiſit; oſtendit enim hoc pacto ſe deſtitutum fuiſſe vera naturæ ſcientia & non curaſſe ſanitatem ſubditorum.

§.20. Non dicam de iſto futili cavillo, quo Lycurgus obſtringere voluit Spartanos, ut leges ſuas perpetuo ſervarent. Nam ſecundum regulas bonæ interpretationis *non adſtricti fuiſſent juramento.*

§. 21. Quare recte dixerunt, quicunque dixerunt, (etſi id miretur Plutarchus) Lacedæmoniis adfuiſſe parendi, non item imperandi ſcientiam; & parum apte Theopompus dicenti, quod Spartani eo incolumes ſint, quod reges imperandi peritos habeant; reſpondit potius eo quod ciues obedire norint. Revera enim in cauſſa eſt, cur Lacedæmonii legibus Lycurgi obſervatis tam diu in gloria fuetint, quod reges imperandi peritos habuerint,

vel potius, quod reſpublicæ vicinæ pejoribus
ıſæ fuerit legibus & moribus.

.22. Reliqua, quæ in Lycurgi inſtitutis notan-
la ſunt, vid. ap. Bælium d. l. & quem ipſe ci-
at Dacierium in Diſſ. peculiari verſioni Plu-
archi in Lycurgo adiecta. Evolvendus et-
ım eſt Nicolaus Cragius de republica Lace-
ıæmoniorum, & ſcriptor Gallus: Lacede-
noine ancienne & nouvelle.

.23. Dedimus in examinandis legibus Lycurgi
ſpecimen, quomodo velimus expendi legum-
ıtionem aliorum legislatorum. In quibus
deo ut nos detineamus, non erit opus, cum
ımnes confiteantur, Lycurgi inſtituta reli-
uis, de quibus jam dicemus, eſſe præferenda.
De Solonis legibus videatur præprimis Plu-
archus in vita Solonis, ex quo & ex aliis ſcri-
toribus collegit eas Pardulphus Pratejus p.
.1. ſq. Jurisprudentia Vet. majori autem cum
ura easdem una cum Solonis vita illuſtravit
ohannes Meurſius. Hic ultimus ſi cum at-
enta cura & meditatione legatur, multa ſup-
editabit ad defectus legum Solonis pertinen-
ia, præprimis ſi conferas Xenophontis libros
e republica Lacedæmoniorum & Athenien-
um, præmiſſa tamen obſervatione, quam
adidimus in diſput. de morum contentione
ım jure ſcripto §. 38. adde Carol. Sigonium

.de

de republica Athenienſium præprimis circa finem libri primi fol. m. 482. 484.

adde omnino die auserleſenen Anmerckungen im V. Theile n. 1. §. 10. p. 42. ſq. de Solone notanda ex Plutarcho ſapientia dicta Anacharſis & Thaletis; colliſio factionum apud Athenienſes; Solonis promiſſio clandeſtina divitibus & pauperibus facta; fraudulenta inventio amicorum ejus, omiſſa diviſio agrorum, obſcuritas legum, ineptum conſilium Solonis conſervandi leges ſuas per juramentum Athenienſium, impotentia ejus, explicandi leges ſuas, Piſiſtrati aſtutia; Solonis converſatio cum Crœſo.

§.24. Obiter ſaltem notamus 1) inconvenientiam abolitionis æris alieni omiſſa agrorum diviſione (de qua Meurſius cap. 12. 13.) 2) fruſtraneam, quamvis communem, commendationem Areopagitarum a ſapientia, quam collegit Meurſius peculiari Tractatu, cujus titulus: Areopagus. Noſtra aſſertio probatur ex Marquardi Freheri ſylvula deciſionum Areopagiticarum, confer & ipſius Meurſii Areopagum c. 10. & Solonem c. 15. 3) Inſtitutionem teſtamenti factionis, aliis prope gentibus omnibus incognitam (Meurſius c. 17.) 4) parum probari ſapientiam legum Solonis ex eo, quod Romani multa ex iis transtulerint in leges ſuas per mox dicenda (Meurſius c. 23.) 5) *) facile prævidere potuiſſe Solonem leges

has,

ıas, utpote divitibus nimis faventes non diu luraturas, etſi ſenatum curaverit jurare, quod velint per centum annos obſervare. Hinc & ipſe finem earum vidit, & quod parum fuerint aptæ ad reprimendam tyrannidem, ſed potius quod occaſionem dederint, ut populus maluerit admittere tyrannidem, quam jugum divitum diutius ferre. (Meurſius. c. 24. 7.) 6) Homeri introductionem. (confer amen & Plutarchum in Lycurgo. Meurſium 25.) Optime contra Homerum ex veteribus iſputat Plato libro ultimo de republica. 7) introductionem Lupanariorum & extructionem templi Veneris vulgaris. (Meurſius d. c. 5. p. 98.) 8) Intempeſtivam fugam Solonis iis, qui explicationem legum aut emendationem petebant, ad quam impar erat. (Meurſius ibid. p. 99.)

Wie kan nun Hertius an Solone rühmen, daß er vorausgeſehen, es werde Piſiſtratus bald Herr zu Athen werden? denn er hat ja auf ſolche Weiſe den Senat umſonſt ſchweren laſſen. S. Hert. Polit. p. 33.

25. Pergo ad Romanos. Romuli leges collegit rum Pratejus Iurisprudentia Vet. p. 183. & cenſet earum 24. Magis tamen ſunt capita dinationis reipublicæ, quam leges proprie tæ. Ad priores 18. eruditum commentam ſcripſit Franc. Balduinus, qui multa etiam

iam ſuppeditabit pertinentia ad næuos harum legum, nam inſufficientia earum ex paucitate nimia patet ad oculum. Vnde immerito Balduinus dicti libri fol. 5. nimis eas commendat tanquam optimas & optimum ſtatum fundantes. * Notas merentur illæ de auguriis, de cura ſacrorum patribus commendata, de oneribus agriculturæ ad ſolos plebejos transmiſſa, de cultu Fauni, præcepto, de ſanctitate murorum &c. commendationem illæ de prohibitione theologiæ fabuloſæ & poeticæ, de interdictis nocturnis vigiliis in templis, de prohibitis verbis obſcœnis, de interdicto vino mulieribus. Et quomodo potuiſſet Romulus ſapientes leges condere, homo improbus, fratricida, raptor, & quid non? **

* in ſpecie inſtitutio Patriciorum & clientum hic notanda erit, contra commendationem Dionyſii Halicarnaſſæi.

** Romuli leges ſunt editæ tempore Achaſi & Eſaiæ, quo tempore vix mortuus erat Lycurgus, nondum natus zaleucus, qui annis plus centum; nondum Solon, qui fere ducentis annis poſteriores ſunt. Balduinus fol. 4.

§.26. Romulum ſecutus Numa, cum videret civitatem a Romulo ſaltem ad bellum fuiſſe paratam, pacis leges iis dedit homo ſagax & aſtutus jam ante Romuli mortem conſuetudinem cum Diis ſimulans, poſtea vero in ſpeciem recuſans regni delationem & fiduciam ſuam erga

ga populum oſtenſurus Ceteles Romuli Stipatores, nimirum corporis regii dimittens, inſtituit cultum Deæ Tacitæ, interdixit cultum imaginum, ordinavit cuſtodes ignis perpetui veſtales, ſacrificia item non cruenta, ac ſacerdotes, inter quos primus fuit, Coli item juſſit Deos Manes, luctui & viduitati modum præſcripſit, Feciales & Salios ordinavit, illos ad pacem ſemper quærendam, antequam bellum fiat, hos ad cuſtodienda ancilia, denique Fidei & Termini ſacra condidit, agros inter inopes diviſit, ſtudium agriculturæ promovit, multitudinem ſecundum artificia diviſit, calendarium emendavit. Uno verbo, multos nævos a Romulo commiſſos correxit, ſed ſimul & populum ſuperſtitioni adſuefecit, eo perículoſiori, quo ſubtilior fuit. vid. Plutarch. in Numa. Neque enim Auguria abrogavit Neque Patrum & Patronorum ambitionem & iniquitatem reſtrinxit.

Adde hic omnino Merulam de legibus Romanorum cap. 5. & 6. ubi plures leges Numæ ex Plinio, Feſto &c. reſtituit.

§. 27. Inſufficientes etiam fuiſſe Numæ leges, & populum Romanum non plene per eas ordinatum, patet ex Tacito III. Annal 26. narrante, quod quædam etiam a Tullo & Anco reperta fuerint, ſed præcipuus Servius Tullius ſancitor legum fuerit, quibus etiam Reges ob-

temperarent, ad quem Taciti locum commentarii inſtar eſſe poteſt Georgii Eberlini obſervatio de Or. Iuris cap. 4. ubi & de LL. Numæ plura habet.

§.28. Ejectis Regibus quanta confuſio tum in Iurisprudentia in ipſo ſtatu Romano per LL. XII. Tabb. ſecutam diſputationem fori, legis actiones, Jus Flavianum, Plebiſcita, ac Edicta Prætorum & Ædilium introducta ſit, ad oculum depinximus integro lib. I. Nævorum Iurisprudentiæ Antejuſtin. ut non opus ſit hic nos diutius detinere, aut prolixe argumenta conquirere, ad oſtendendum, quod hæ Leges Romanæ ne quidem conferri mereantur cum legibus Moſaicis.

§.29. Oſtendimus etiam lib. 2. ejusd. Tract. quod Auguſtus & reliqui ejus ſucceſſores usque ad Juſtinianum partim non voluerint Leges dare ad introducendam pacem ac tranquillitatem communem facientes, ſed magis artibus pſeudopoliticis quæſiverint ſtabilire tyrannidem; partim etiam vera Legislatoria prudentia deſtituti remedia dederint ad emendandos mores populi & corrigendos nævos Iurisprudentiæ parum apta, ubi præter alia notabilia ad expoſitionem hiſtorico-politicam capitis ſecundi adducta, fuſius dictum fuit de facultate reſpondendi JCtis per modum beneficii ab Auguſto indulta, & inde or-

tis

tis ſectis de nævis Edicti Perpetui, conſtitutionum Principalium, Codicum Gregoriani, Hermogeniani, & Theodoſiani.

§.30 Fuiſſe præterea corruptiſſimum ſtatum Reip. Romanæ, ac quo magis falſum decorum in ea crevit, eo magis etiam ubique creviſſe irritamenta omnium vitiorum, luxuriem, laſciviam, luxum, adulteria, veneficia, falſa varii generis ac fraudes, docent partim ante Conſtantinum Tacitus, Suetonius, & alii ſcriptores Hiſtoriæ Auguſtæ, item Poetæ ſatyrici Horatius, Martialis, Juvenalis, Perſius aliique; partim a temporibus Conſtantini, variorum ſcriptorum querelæ, quas collegit doctiſſimus Godofredus Arnoldus tum libro octavo de moribus primorum Chriſtianorum, tum in Hiſtoria Eccleſ. & Hæretica ſec. IV. & ſeq.

§.31. Uti vero dicenda inferius ſuo loco oſtendent, impoſſibile eſſe ita corruptam Rempublicam legibus emendare velle; ita in anteceſſum egregie eam in rem diſſeruit peſſimus alias princeps Tiberius in Epiſtola ad Senatum data apud Tacitum III. Annal. 52. quam utinam cum rationibus ibi adductis probe expenderent omnes Principes, qui mala nimis radicata Legibus tollere cupiunt.

confer etiam quæ diximus in Diſput. de Content. morum cum jure ſcripto §. 47.

§.32. Etſi vero Iurisprudentia Iuſtinianea hactenus communi errore legiſtarum in cœlum fuerit ſublata, facile tamen oſtendit Catalogus Nævorum Iurisprudentiæ Iuſtinianeæ recenſitus in Præfatione ad Tractatum de Nævis Iurisprudentiæ Ante-Iuſtinianeæ, quod nulla unquam methodus abſurdior fuerit, & ad emendandam Iurisprudentiam & tranquillitatem externam promovendam ineptior, quam illa Iuſtiniani & Triboniani. Et ſolemus peculiaribus lectionibus de Hiſtoria Iuris privati id fuſius oſtendere. Adde Franciſci Balduini Iuſtinianum & Fr. Hottomanni Tribonianum.

§. 33. Etſi unquam, certe ſub regimine Iuſtiniani miſerrimum fuiſſe ſtatum publicum Reip. Romanæ, cuilibet ad oculum patebit, ſi quis modo ſcriptores Hiſtoriæ Conſtantinopolitanæ, & præprimis Agathiam & Procopium cum judicio politico legat, iisque poſtea Procopii Anecdota cum notis Nicolai Alemanni jungat, quicquid etiam dicant adulatores moderni Iuſtiniani, * Giphanius, Guinetus, Eichelius.

* ☞. Huberti Giphanii & Franciſci Guineti de Iuſtiniano Imperat. Commentarios II. Norib. 1660. 12.

§.34. Communiter tanquam exemplum aſtutisſimi & firmiſſimi ſtatus proponi ſolet a politicis

ticis ſtatus eccleſiæ Romanæ, & merentur peculiares meditationes, quæ ea de re cum judicio collegerunt Theodoſius Gibellinus in Cæſareo-Papia Romana, & Pufendorffius in cap. ultimo Introduct. ad Hiſtoriam, qui antea ſimiliter ſub ficto nomine Baſilii Hyperetæ latere voluerat. adde Conringii Theſaurum Rerumpubl. P. II. tit. 22. p. 809. ſeq.

§. 35. Quemadmodum vero patet ſtatum Monarchiæ Papalis non tam eſſe certam Reip. ſpeciem, ſed potius monſtrum aliquod politicum, cum ſit ſtatus in ſtatu, Reſpublica Eccleſiaſtica in Rep. Politica, ad nil aliud apta, quam ad excitandum turbas internas & externas (nam jam prioribus ſeculis notatum fuit a multis, Eccleſiam eſſe in Republica, non Rempublicam in Eccleſia, multo minus Rempublicam unam poſſe eſſe bicorpoream, Eccleſiaſticam & Politicam); inde non poteſt conferri a prudentibus Inſtitutio & Conſtructura Monarchiæ papalis cum Inſtitutione Reip. Iſraeliticæ, niſi velis etiam comparare fata ſecunda hominis extreme nequam, cum fatis hominis honeſte & prudenter viventis.

§. 36. Quare maxime cavendum eſt, ne Prudentiam ex ſola diuturnitate æſtimes. Diuturna felicitas Reipublicæ bene ordinatæ ex felicitate interna animorum & prudenti ſtructura cum ſana ratione conveniente profluit. At

diuturna felicitas hominum aſtutorum & ſocietatum conſiliis aſtutis ſubnixarum dependet ab incertitudine circumſtantiarum externarum, vicinorum nempe & vicinarum Rerumpublicarum, ſi illæ & virtute & aſtutia carentes imprudentius ſint ordinatæ, uti felicitas illa externa Reipublicæ Eccleſiaſticæ papalis dependet a ſola ſuperſtitione populi & vicinorum, & ab horum diſcordiis.

§.37. Quare miror, quod nec Theodoſius Gibellinus, nec Pufendorffius, nec Conringius quædam addiderint de ſperando interitu Monarchiæ *Papalis*, ſed potius id ſaltem deduxerint, quomodo poſt reformationem curia papalis variis artibus ſe aliquo modo iterum ſtabiliverit. Etſi enim hoc diffiteri non poſſimus, facile tamen quilibet videt, non ſperandum aut timendum eſſe, ut Reſpublica illa ad eas vires iterum creſcat, quibus ante Reformationem viguit, & potius certum eſſe, eam quotidie, ſed pedetentim magis magisque ruinam minari, ac adeo ex rationibus etiam politicis ſperandum eſſe, extinctum iri vel intra ſeculi ſpatium totam curiam papalem cum omnibus Cardinalibus.

§.38. Superſtitione ſublata, neceſſe eſt, ut autoritas papalis labatur. At inquis, hæc jam per duo ſecula ſublata eſt. Minime vero: ſaltem minuta fuit, & in quantum minuta eſt, etiam dimi-

diminuta eſt autoritas papalis. Meditare omnes circumſtantias a tempore obſidionis Romæ per miniſtros Caroli V. ad contemtum, quem Papa proxime elapſo ſeculo a Lavardino Regis Gall. legato, patiebatur, & deprehendes diminutionem autoritatis papalis.

§.39. Sed laboramus adhuc multa ſuperſtitione, & Papatus principia pſeudopolitica etiam ter nos a Pſeudo-Clero noſtro ſtabilita fuerunt, dormientibus Politicis & permittentibus, ut furiæ quædam in Cathedra Lutheri tyrannidem papalem hactenus tuto exercuerint. Incipimus per Dei gratiam nævos noſtros videre: decreſcit quotidie magis magisque ſuperſtitio, non ſolum inter Proteſtantes, ſed & inter Catholicos. Ergo etiam ruina totius Papatus neceſſario appropinquat. Et, niſi me omnia fallunt, vel præſens bellum, in quo de Regno Hiſpaniarum certatur, nimium quantum infringet potentiam Papæ in ipſa Italia. Sed jam quidem nobis non licet eſſe prolixioribus, neque plura addere de ſperanda concordia vel non ſperanda inter Principes Chriſtianos vel ſaltem in Germania, quæ haud dubie etiam multum tribuere poſſet ad ruinam papalem.

§.40. Eadem fere, quæ de Monarchia Papali no avimus, notanda etiam ſunt de Monarchia Turcica, ut quæ in multis comparari poteſt

cum Monarchia Papali. Rationem ſtatus Imperii Turcici petere poteris ex Conringii Theſauro Rerumpubl. P. I. tit. 9. p. 598. ſq. & excerptis ab Oldenburgero ſubjunctis, item ex Autore der Neuerōffneten Ottomanniſ. Pforte, potiſſimum ex Tractatu Tomo I. præmiſſo von Zuſtand und Beſchaffenheit des gantzen Ottomanniſ. Reichs. Potiſſima capita illius rationis ſtatus ſunt: Abſoluta poteſtas Imperatoris, & quod ſubditi hanc abſolutam poteſtatem tanquam articulum fidei ſibi perſuadeant; Educatio peculiaris, & ſtudia in Seraglio eorum, qui deſtinantur potiſſimis functionibus imperii. Deſtructio provinciarum occupatarum in Aſia & aliis locis a ſede Imperii longe diſſitis: quod nulla officia apud ipſos ſint hereditaria, & adeo nulla nobilitas ſanguinis; frequens mutatio officialium; varia media augendi numerum ſubditorum; tolerantia religionum cauta: emptio ſervorum Chriſtianorum a Tartaris: permiſſio Polygamiæ & Divortiorum: Religio ex Iudaiſmo & Chriſtianiſmo mixta: inſigne ſtudium militiæ: ſelecta militia Ianiſſariorum: deſperatus modus belligerandi apertis præliis: modus finiendi belli retentis ſemper quibusdam, quamvis paucis locis bello occupatis &c.

§. 41. Nam & hic, cum omnia ad Tyrannidem ſtabiliendam comparata ſint, & ad ſtatum bellicum

licum, nulla comparatio cum ſtatu pacifico Iſraelitarum inſtitui debet: nec argumentum juſtum præbere poteſt ad demonſtrandam prudentiam ſtatus Turcici magna potentia & duratio hujus Reipublicæ. Et ſi quis conſideret bella præcedentis ſeculi, quæ Principes & Reſpublicæ Chriſtianæ cum Turcis geſſerunt & adhuc gerunt, ſtatim deprehendet, rempublicam Turcicam jam verſari in periodo diminutionis, & multas ſubeſſe rationes politicas, quæ ſperare jubeant & hujus Imperii interitum.

§.42. Porro ſi verum fateri volumus, nullam quidem Rempubl. deprehendere licet, cujus mores & ſtructura propius accedat ad Prudentiam Moſaicam, quam veterum Germanorum præcipue quod illud caput attinet, quod jubet præſcindenda eſſe irritamenta vitiorum. Sed præterquam quod non poſſimus exactam comparationem inſtituere inter Remp. Iſraeliticam & Germanorum, quia Tacitus non plene deſcribit eorum mores, ſed ſaltem eos, quibus a Romanorum moribus differebant; ſæpe etiam Tacitus non mala fide mores Germanorum non recte ſibi imaginatus eſt, (qua de re diximus in diſſert. de Hominibus propriis Germanorum) inſuper etiam illud in confeſſo eſt, laboraſſe Germanos vitio illo communi omnium Rerumpublicarum antiquarum, nimio bel-

li ſtudio,& nimiam operam dediſſe venationibus, quæ affectum pariunt manſuetudini & humanitati plane oppoſitum. Exercebant etiam latrocinia gentis in gentem &c. Bibacitatem ſtudio omitto, quia dicto loco oſtendi, Tacitum hac in parte fuiſſe deceptum.

NB. in ſecundis curis etiam examinanda ſtructura Reip. Venetæ.

Polybius lib. 6. ſect. 3. comparat quoad præſtantiam Cretenſem, Romanam & Lacedæmoniorum Rempubl. qui multa ad hoc caput pertinentia ſuppeditabit confer. etiam libri 10. n. 2. ſeq.

Cap. X.

Status miſerrimus Prudentiæ Legislatoriæ in Germania.

§. 1. Communiter dicimus & recte: Legem Moſaicam ſaltem eſſe umbram perfectionis Chriſtianæ. Interim ſi ſtatum Rerumpublicarum Chriſtianarum conferamus cum Republica Iſraelitica, deprehendimus, nullam Rempublicam miſerioribus ſtatutis & legibus eſſe inſtructam, quam Reſpublicas Chriſtianas. Cauſæ hujus rei ut diſtinctius appareant, res paulo altius eſt repetenda.

§. 2. Etiamſi lex Moſaica in comparatione ad alias leges omnes fuerit perfectiſſima, ut hactenus demonſtratum eſt, non potuit tamen corri-

corrigere naturam hominum corruptam, h. e. prædita quidem fuit efficacia reprimendi actiones cupiditatum enormes, & ita ſuo modo promovendi tranquillitatem externam, tollere, aut ſaltem minuere cupiditates ipſas, & Judæos ad tranquillitatem internam perducere non potuit, non vitio quodam legibus adſcribendo, ſed vitio hominum.

§. 3. Uti enim omnipotentiæ divinæ nihil decedit, etiamſi non poſſit impoſſibilia, ita nec ſapientiæ divinæ legum Moſaicarum, etiamſi non potuerint introducere tranquillitatem & pacem internam, quia & hoc eſt impoſſibile, ut per leges fiat.

§. 4. Legis enim virtus eſſentialis, ut ſupra oſtenſum fuit, conſiſtit in cogendo & metum externum injiciendo. At natura humana ita comparata eſt, ut impoſſibile ſit per metum ſervilem, qualis eſt omnis metus pœnarum, emendare homines, quin impoſſibile eſt, per coactionem aliquem ducere ad amorem, qui eſt fons tranquillitatis internæ.

§. 5. Hoc quidem patet, quamdiu Iſraelitæ vixerunt ſecundum leges Moſaicas, tamdiu eorum ſtatum neceſſitate morali in comparatione ad alios ſtatus fuiſſe felicisſimum; ſed iſtud non potuit efficere Lex, ut ſubditi

ſecun-

ſecundum leges has, etſi optimas, vivere deſiderarent. Obſtitit enim partim communis corruptio hominum, qua ſemper in vetitum nitimur, partim pertinacia peculiaris Judæorum. Inde tot ſeceſſiones a temporibus Moſis ad tempora Regum &c.

§. 6. Communiter alias tres formæ Rerumpubl. ſtatuuntur: Monarchia, Ariſtocratia, & Democratia, de quarum inter ſe comparatione, & utra alteri ſit præferenda, multa diſquirere ſolent Politici. vid. Beſoldi opus Polit. Part. 3. ſed quemadmodum oſtendimus in prima parte Logices noſtræ, quod omnes quæſtiones comparativæ ſint fere problematicæ, & facile in utramque partem rationes inveniri posſint; ita & illa quæſtio cum quæſtione ſimili de prærogativa Imperii electivi vel ſucceſſivi (de qua integrum tractatum ſcripſit Eberhardus a Weyhe) multa ſuppeditabit argumenta in utramvis partem. Sed, non magnum habet uſum, partim, quia quælibet harum formarum ſua commoda habet & incommoda, adeoque nulla forma ex iſtis alteri abſolute præferri poteſt; partim quia boni civis eſt, ut ſe accommodet formæ Reipublicæ, in qua vivit, nec optet mutationem, etiamſi videatur eſſe in melius, quia omnis mutatio Rerumpublicarum,

ſine præcedente magna turbatione tranquillitatis publicæ fieri nequit.

§. 7. Interim nec illud diffitendum eſt, quamcunque ex his Rerumpublicarum formis alteri præferas, omnibus illis præferendam eſſe Theocratiam ſtatus Moſaici, cujus præſtantiam & ſtructuram eleganti diſſertatione expoſuit Spencerus in Tractatu de LL. Ebræorum ritualibus. Confer Sigonium & Cunæum de Republica Hebræorum. Boſium in Introduct. ad notitiam Rerumpubl. c. 30. §. 51. ſeq.

§. 8. Quare quamprimum ab illa ſtructura Reipublicæ Iſraeliticæ a Moſe inſtituta abibant Iſraelitæ, & Regem ſibi eligebant, multum turbabatur illa connexio Reipubl. Moſaicæ, præprimis cum Ieroboamus cultum Leviticum & Inſtitutum a Salomone juſſu divino cultum templi Hieroſolymitani abjiceret, & populum Iſraeliticum a populo Judaico ſepararet, ac Regnum abſolutum meditaretur.

§. 9. In Populo Iſraelitico quidem manſit aliquo modo forma Theocratica, cum Rex multis modis adhuc ſubeſſet Synedrio & ſacerdotibus (vid. Seldenum de Synedrio Hebr. Schickard. de Jure Regio Hebr. Spencerum d. diſſert. Ex quibus facile reſponderi poterit ad argumenta diſſentientis Kippingii

pingii Inſtit. Polit. lib. I. cap. 12.): ſed & hic tamen fere perpetuæ erant colliſiones inter Reges Judæ affectantes ſummam poteſtatem & ſacerdotium.

§. 10. Igitur totus mundus erat praviſſimis moribus corruptus, & fruſtranea erant remedia, quibus homines volebant felicitatem veram ſibi comparare. Apud Gentes ii, qui rempublicam adminiſtrabant, fruſtra, ut oſtendimus, emendare volebant mores hominum legibus ſcriptis, præprimis cum ipſimet vera ſapientia eſſent deſtituti. Philoſophi gentiles pariter ineptiebant cum doctrina ſua pſeudo-morali, & quæſtionibus inanibus de natura ſummi boni, & mediis id acquirendi. Judæi poſt captivitatem Babylonicam & pravis moribus & ſciſſione ſectarum, Phariſæorum & Sadducæorum, & inde profluentibus impiis & abſurdis explicationibus Legis Moſaicæ magis magisque corrupti, fruſtra in illis quærebant ſalutem.

§. 11. Placuit igitur divinæ Clementiæ, in plenitudine temporis mittere filium ſuum Ieſum, qui veram doctrinam de tranquillitate interna ſeu ſummo bono, & de medio eam per fiduciam in ipſum, ut in quo habitabat plenitudo Divinitatis, acquirendi, & de præmio hujus & futuræ vitæ inculcaret hominibus, & ſic eos a morte peccati & ira divina emen-

emendatione interna liberaret, ac doctrinam ſuam morte ac reſurrectione obſignaret, ac ita omnes LLatores humanos, omnes ratiocinationes Philoſophiæ gentilis confunderet ac in triumphum duceret, & ſolam ac unicam viam ad ſalutem & felicitatem perpetûam per Cainitas ac poſteros Noachi ac receſſionem eorum a vera Patriarcharum Eccleſia obfuſcatam in lucem revocaret.

§. 12. Nullum eſt ergo dubium, ſed ex dictis ſua ſponte fluit, Præcepta Chriſti fuiſſe longe perfectiora Legibus Moſaicis, quæ & ideo Legum nomine ſæpe veniunt in ſignificatu laxo, de quo ſupra latius diſſeruimus Cap. 5.

§. 13. Sed propterea tamen Chriſtus non fuit novus Legislator proprie dictus, nec ejus præcepta ſunt Leges proprie dictæ pœnas humanas & alios cogendi modos ſupra recenſitos intendentes. Neque enim Chriſtus unquam intendit novum populum aut novam Rempublicam peculiarem inſtruere. (vid. omnino totus Tract. Puſendorffii de Habitu Religionis ad Rempubl. & P. I. Introd. ad Hiſtoriam cap. ult. de ſtructura Monarchiæ Papalis.) Et regnum Chriſti non eſt de hoc mundo (confer. de regno Chriſti Kippingii Inſtit. Polit. d. l. 1. c. 11.).

§. 14. Simul vero oſtendet diligens medita-

ta-

tatio illorum duorum Scriptorum Puſendorffii, & attenta lectio eorum, quæ Godofr. Arnoldus partim de moribus veterum Chriſtianorum, partim in Hiſtor. Eccleſ. & Hæretica diligenter collegit, quod primus & antiquiſſimus error in Chriſtianiſmo fuerit, quod illi ex Doctoribus Chriſtianis, quorum temperamenta ambitione & avaritia eminebant ac ita natura ſua inimici erant actionum, characteres voluptuoſæ & indecoræ vitæ eminenter exprimentium, perſuaderent Principibus Chriſtianis, quod Chriſtianiſmi ſancti mores per Leges deberent introduci.

§. 15. Ortum duxit hic error ex Gentiliſmo. Uti enim ibi Fortitudo h. e. inhumana & immiſericos ambitio nomine virtutis abſolute dictæ veniebat, per dicta ſuperius cap. IX. §. 5. Ita vitii nomine abſolute veniebat voluptas, uti vel ex fabula Herculis in bivio conſtituti patet; & quod apud Phariſæos ἁμαρτωλοὶ (peccatores) dicerentur, homines voluptuariæ & indecoræ vitæ dediti.

§. 16. Fructus hujus erroris fuit, quod ambitioſi & avari ſub hoc prætextu tyrannidem exercuerint in homines voluptarios indecore viventis, & ſic ambitio & avaritia cum Pſeudodecoro & cultu ceremoniali ab hominibus in vento tanquam virtus & pietas introduceretur

tur in Chriſtianiſmum, & ſic & Ethniciſmus & Iudaiſmus craſsiſſimus larvam Chriſtianiſmi aſſumeret.

§. 17. Cum vero perpetua fuerit lucta poſt Apoſtolorum mortem inter Clerum luxuriantem, & ſeverum ac melancholicum, (cum impoſſibile fuerit, ut omnes Clerici eſſent homines avari & ambitioſi) & illa hypotheſis de Chriſtianiſmo per leges introducendo (quæ omnibus ad extirpandum Iudaiſmum & Ethniciſmum placebat) jam radicata eſſet; perſuaſerunt Clerici luxuriæ & exceſſibus voluptuoſis dediti Principibus, Chriſtianiſmum conſiſtere in formulis fidei intellectualis: ut ipſi videlicet excuſationem haberent, ſi a laicis ipſis objiceretur, quod non ſancte viverent.

§. 18. Formulis ſemel introductis retinuerunt & illas Clerici ambitioſi ac avari, ſi hi rurſus Principes ſibi obnoxios nacti eſſent, partim ad infallibilitatem ſuam defendendam, partim ut hoc prætextu effugerent onus reſpondendi ad objectiones ex ſana ratione & ſacris literis formulæ illorum oppoſitas, ac formula illa tanquam clypeo adverſus hæc tela ſe defenderent; partim denique ut eadem uteren-

tur adverſus diſſentientes ſub titulo gladii verbi divini, (æquiparaverant enim formulas ſuas ſacræ Scripturæ) eosque tanquam Hæreticos & criminis læſæ Majeſtatis divinæ Reos igne & crudelisſimis tormentis poſſent perſequi.

§. 19. Peperit hæc illorum duorum errorum confuſio Papiſmum, imo conjunctio horum duorum errorum ipſe Papiſmus eſt. Poteſtas enim Papæ tanquam capitis in his duobus abſolvitur: 1) in LL. Eccleſiaſticis quoad mores & cæremonias, 2) in præſcriptione formulæ fidei. Et miſerior hac parte fuit facta Chriſtianiſmi conditio Ethniciſmo & Iudaiſmo, cum uterque hic ſtatus ignoraverit formulas, & imperium in actiones internas hominum præcipue intellectus humani, ſed contentus fuerit tyrannide in actiones externas locomotivæ corporis humani, quatenus illa concurreret ad tranquillitatem ſocietatis.

§. 20. Fructus hujus miſeriæ fuit ſervitus crudeliſſima, in quam detruſi fuere a Clero Chriſtiano omnes Laici, etiam maximi Principes & Imperatores, ut Hiſtoriæ non loquuntur; ſed clamant. Nihil enim crudelius, quam ſi homines non habeant libertatem ſpeculandi de rebus contemplabilibus, & de iis, quæ pro veris vel falſis habent, cogitationes

ſuas

ſuas modeſte aperiendi, & loquendi, i. e. libertatem philoſophandi de rebus, a quibus non dependet tranquillitas Reipublicæ.

§. 21. Ergo cum Clerus ipſis Regibus dominaretur iisque leges præſcriberet, non potuit non inde evenire, quin tandem totus orbis Chriſtianus miſerrimis legibus, ad nihil aliud aptis, quam ad ſtabiliendam tyrannidem Clericalem, repleretur.

§. 22. Reſtitit huic Tyrannidi quantum potuit Germania, ac multis ſeculis libertatem ſuam defendit, antequam leges has tyrannicas aliasque peregrinas reciperet, etſi Reges Germanorum per aliquot ſecula tanquam Imperatores Romani & Advocati Eccleſiæ ſimul Italiæ præfuerint. (conf. Schilteri Tract. eruditum de Libertate Eccleſiarum Germaniæ.)

§. 23. Uti verò variis artibus Papatus Germaniam tandem etiam ſibi ſubjugavit, ita multum ad hunc finem contribuit receptio Iuris Canonici, i. e. Legum Papalium, ſub ſpecie ſanctitatis & pietatis abſurdiſſimarum, omnem ſummam auctoritatem magiſtratui politico adimentium, & in Clerum transferentium.

§. 24. Quamvis autem ſemper fuerint Viri pro ratione illorum temporum eruditi, qui tyrannidi Papali ſe opponerent, & jura Imperatorum defenderent, quorum ſcripta potiſſima collegit *) Goldaſtus in tribus Voluminibus Monarchiæ Imperii, factum tamen fuit aſtutia papali, partim infelicitate illorum temporum, ut hi Legiſtæ Iure Iuſtinianeo uterentur tanquam juſtis armis adverſus tyrannidem Pontificiam, & Regibus Germanorum perſuaderent, ut confuſioni Legum Germanicarum mederentur per introductionem Iuris Iuſtinianei in Germaniam, quo remedio tamen nullum abſurdius inveniri poterat, partim ob defectus infinitos, quibus ipſum Ius Iuſtinianeum laborare ſupra notavimus, partim propter diverſitatem perpetuam eamque inſignem morum Germanotum a moribus Romanis.

* Recenſuit ea ipſe Thomaſius in Hiſtoria contentionis inter Imperium & Sacerdotium de iisque judicavit libere, p. 204. ſqq.

§. 25. Oſtendunt etiam Hiſtoriæ, quod Papa & Clerus Papiſticus artibus ſuis Germaniam eo tandem redegerint, ut omnis tranquillitas & unio membrorum cum capite & membrorum inter ſe fuerit pene ſublata, quæ diffi-

dia

dia maximum incrementum cœperunt tempore fatalis illius interregni, quod poſt mortem Friderici II. Imperatoris ultra 17. annos duravit. Affecit ea miſeria etiam judicia & leges, cum quilibet potens manu potius & bello, quam juſto arbitrio vellet jura ſibi competentia vindicare, præprimis cum Respubl. Germaniæ capite deſtituta Iudicem ſupremum non haberet. Hinc perpetua bella civilia, & colliſiones Principum, Nobilium ac Civitatum inter ſe. In hac ſumma confuſione etiam LL. Germaniæ eſſe confuſas apertum eſt. Fruſtra enim ſunt LL. ubi nulla ſunt judicia.

§. 26. Duravit id damnum per aliquot ſecula. Etſi enim ſubſequentes Imperatores Rudolphus videlicet Habspurgicus eiusque ſucceſſores ſæpius conarentur pacem imperii publicare & judicia & leges iterum ſtabilire, monſtravit tamen magna cura & diligentia Joh. Philippus Dattius in aureo opere de Pace Imperii publica, quam lente & cum exiguo fructu conatus iſti ſucceſſerint, donec tandem ſub Maximiliano I. Imperatore Conſtitutio Imperii de Pace publica ederetur & judicium Camerale inſtitueretur.

§. 27. Quod vero nec hæ conſtitutiones

Maximiliani fructus, quos primo intuitu pollicebantur, ferre potuerint, variæ cauſæ fuerunt, alibi fuſius expediendæ. Potiſſimæ ſunt illæ: 1. * Permiſſio belli defenſivi. Nam in Republica bene conſtituta nullum ſubditis & ne defenſivum quidem bellum permittendum: 2. Obſcuritas & difficultas ſecernendi bellum defenſivum ab offenſivo, unde ſubſecutis turbis quælibet pars prætendit, ſe gerere bellum defenſivum. 3. Introductio in Iudicium camerale Proceſſus intricatiſſimi ſecundum technas Iuris Pontificii. 4. Confuſio Iuris Romani, Pontificii, Morum Germaniæ, Statutorum &c. quæ Iurisprudentiam reddebat incertam & judicia faciebat diuturniora. 5. Subſecuta varia bella inteſtina ad noſtra usque tempora, quibus Statuum poteſtas crevit ita, ut partim Imperator, partim Iudicium Camerale nunc potentia deſtituantur ſententias latas contra potentes Status exequendi &c.

* conf. Obſervat. ſelect. ad rem litter. ſpectant. tom. III. obſ. VIII. u tom. IV. obſ. VIII. adde tom. VI. obſ. XXXI. cum annotationibus Chriſt. Thomaſii.

§. 28. Et quamvis LL. Imperii huic malo ſubinde mederi voluerint, ac de emendandis moribus & corrigendis Iurisprudentiæ nævis

quæ-

quædam diſpoſuerint, facile tamen quis divinare poterit, quid eo modo effici potuerit, cum illi, qui ad emendationem fuere adhibiti, caruerint (vitio temporum & academiarum) prudentia Legislatoria.

§. 29. Committi enim ſolet ejusmodi emendatio Eruditis. Eruditi habentur, qui didicerunt ea, quæ in academiis docentur: Academiæ quæ docent, acceperunt ex inſtituto pontificum. Valde caverunt Pontifices, ne genuina ac ſapiens doctrina politica in academiis doceatur de Geneſi & ſtructura Reipubl. prudenter inſtituenda, quia ejusmodi ſtructuræ totus Papiſmus, quantus quantus, adverſatur. Ariſtoteles, ultra quem non licebat ſapere, nihil ſcripſit de Legibus aut certe ejus libri interciderunt. Hinc in nulla Academia fundamenta veræ politices, minime omnium vero fundamenta prudentiæ LLatoriæ fuere propoſita. Neque apud Proteſtantes hactenus ea in parte quid emendatum fuit, poſtquam ubique regnavit, & alicubi adhuc dum regnat Ariſtoteles. (conf. Patris Tabulam ult. Philoſophiæ Practicæ) Speciminis loco eſſe poterit, quod Conringius, Vir alias valde eruditus & cui multum debet Iurisprudentia Germaniæ, publica pariter & privata, in

Præfat, ad Hopperi libros de vera Iurisprudentia valde commendet hujus Hopperi libros quatuor νομοθεσίας, tractatum jejunum valde, & qui ultra ſpeculationes abſtractivas, ſubtiles & parum profuturas nihil continet, etſi ab Hoppero JCto Pontificio, & qui fere ante duo ſecula vixit, illis quidem temporibus nil exactius expectari poterat.

§. 30. Quare neceſſe fuit, ut cum illi, qui poſtea ad conſilia Principum fuere adhibiti, in Scholis nulla fundamenta prudentiæ Legislatoriæ ex Academiis adferrent, etiam in ipſas Leges imperii, ope talium Virorum conditas, multi nævi ſe inſinuaverint, defectum prudentiæ LLatoriæ prodentes, & Iurisprudentiam ac mores magis magisque corrumpentes, certe declarantes aperte inſufficientiam Legislationis Germanicæ ad emendandam Iurisprudentiam & corrigendos mores.

§. 31. Quodſi ſcopus hujus meditationis permitteret, ut leges omnes imperii publicas percurreremus, poſſet integrum volumen exemplorum confici, declarantium vel imprudentiam eorum, quibus mandata fuit elaboratio Legum, vel infelicitatem temporum, quibus leges fuere conditæ, vel obſcuritatem,

quæ

quæ neceſſario novas diſſenſiones in legum interpretatione peperit &c. ſufficiat itaque hoc loco paucis exemplis dicta declaraſſe.

§.32. Ita in Aurea Bulla eminent præ reliquis ejus procemium rebus plane impertinentibus, ut molliſſime dicam, repletum, Conſtitutio cap. 2. §. 5. de Electoribus pane & aqua coercendis, Caput 17. de diffidationibus. Obſcuritatem vero ejus teſtantur tot Commentarii in eandem.

§. 33. Receſſus Imperii uti maximam partem olim confecti ſunt ad ſubſidia a Statibus ſub prætextu belli Turcici accipienda, ita introductio vel confirmatio (obſcura quidem, & de qua adhuc diſputatur) Juris Juſtinianei in Germaniam, Ordinatio Regimenti, Ordinatio Cameralis, Interim, Ordinatio politica, ſæpius & fruſtra iterata prohibitio poculorum ſanitatis, ac infinita alia, & frequentiſſimæ diſputationes DD. de quæſtionibus Iuris publici controverſiſſimis partim ob obſcuritatem Receſſuum, partim ob contradictionem, partim ob mutationem ſtatus &c. ea quæ a nobis dicta ſunt, ſatis confirmant.

§. 34. Capitulationes, uti non intendunt

corrigere mores & nævos Iuriſprudentiæ, ſed ſolum reſtringere poteſtatem Imperatorum, & augere poteſtatem Statuum & Electorum, ita tamen infinitæ additiones, omiſſiones, variationes, quæ optime apparent ex Capitulatione Harmonica Muldeneri, digito quaſi monſtrant infelicitatem ſtatus Germaniæ, in omnibus paragraphis. Adde, quod multa etiam in novioribus contineantur, quæ moraliter impoſſibilia ſunt: e. g. quod Ioſephus art. 9. promiſit, quod velit obſervare ordinationes politicas, item provocatio non infrequens ad deciſionem inſtantaneam controverſiarum in Comitiis Imperii &c. vid. art. 15. Cap. Ioſephi.

§. 35. & quamvis aucto jure Territoriali jam per ſeculum & ultra Status fere omnes intenderint nævos morum & Iuriſprudentiæ variis ordinationibus politicis & provincialibus (Landes und Policey Ordnungen, ingleichen Proceß Ordnungen) emendare, ob easdem tamen rationes confuſio magis crevit, quam ut diminuta ſit, dum doctores eum in finem adhibiti inepta conciliatione mores Germaniæ cum Iure Canonico & Iuſtinianeo in Harmoniam reducere voluerunt.

§. 36. Loquuntur id omnes paginæ in talibus

bus ordinationibus, præprimis vero Ordinatio Wurtenbergica ejusmodi confuſionibus repleta eſt. Specimen aliquod dedimus in nuperrima diſputatione de Arrhis emtionum.

Cap. XI.

Emendationem hujus miſeriæ rebus ſic ſtantibus eſſe imposſibilem.

§. 1. Hæc omnia quæ Capite præcedente diximus, ſiquis conſideret, patebit, quod moraliter impoſſibile ſit rebus ſic ſtantibus, &, ſi non inſignis mutatio ſtatus Germaniæ accidat, quæ tamen absque inſigni damno & concusſione totius Germaniæ fieri nequit, ut miſeria hæc tollatur. Minime omnium vero id per LL. ſcriptas fieri poterit.

§. 2. Uti vero omnibus ſeculis otioſi homines non defuerunt, qui ſpeculatione neſcio cujus ſtatus perfecti ideas quasdam depinxerunt Reipublicæ perfectæ & Legum, quibus illa imaginaria felicitas introduci poſſet; alii etiam prudentiores viri ejusmodi fictas Respublicas in ſcriptis propoſuerunt, non ea quidem intentione, ut putarent tales Respublicas intro-

tro-

troduci poſſe, ſed ut quaſi in imagine & exemplo oſtenderent fontes corruptionum; ita nec defuerunt viri, qui eruditorum nomine per abuſum inſigniuntur, qui ejusmodi ſpeculationes inanes aut ſatyras conſiliis ſuis intempeſtivis in praxin voluerunt deducere.

§. 3. Non infrequens eſt, ut ex Academiis in publicum prodeant Diſputationes Cathedrales *quid expediat Imperio?* & in prima ſtatim meditatione Cogitationum Menſtruarum Germanicarum fuſius de ineptitudine horum conſiliorum diximus.

§. 4. Scilicet, ut modo publicatum Programma oſtendit, Doctores & Profeſſores & alii homines ſpeculationibus & librorum editionibus dediti ineptiſſimi ſunt ad Reformationem Reipublicæ.

§. 5. Hinc falſiſſimum eſt dictum Platonis: Tum demum beatas fore Respul. ſi aut Philoſophi regnarent, aut Reges philoſopharentur. vid. Sozom. in argum. Op. Platonici de Republ.

§. 6. Nam ipſius Platonis Idea de perfectione Reipublicæ, quam delineavit in libris decem

cem de Republica, & libris duodecim de Legibus, ſi quis eam absque præjudicio conſideret, oſtendet, quod Plato ipſe ad nihil minus fuerit aptus, quam ad emendationem Reipublicæ. Ita omnes libri repleti ſunt ſpeculationibus tædioſis & prolixis ad ipſam rem parum aut nihil facientibus. (videatur Ioh. Sozomeni Argumentum totius Operis Platonici de Republica præmiſſum ipſius verſioni edit. Venet. 1626. in 4to. adde Marſilii Ficini argumenta ſingulislibris de Republ. & LL. præmisſa.) Et vel ſola communio uxorum, quam in ſua Republica introducere voluit Plato, ſtultitiam hominis demonſtrat. Unde cum Plotinus Platonicus (vide le Dictionaire de Mr. Bayle, voce Plotin) vellet Imperatorem Galienum perſuadere, ut hic urbem ædificaret, in qua Plotinus Rempublicam Platonicam volebat introducere, ſerio id diſſuaſerunt prudentiores Aulici.

§. 7. Non tamen negandum, quædam ſed pauca monita comparere in iſtis libris, quæ nævos quosdam Rerumpublicarum non imprudenter tangunt, & ex quibus ſtultitiam noſtram metiri poſſumus. Quale eſt v. g. Diſſ. de Poetis in Rep. non tolerandis, & de Homero ſine cauſa æſtimato a Græcis, in lib. ult. de Rep.

§. 8.

§. 8. Quod libros de Legibus attinet, liceat ſaltem jam ex primo eorum & argumento in illud Marſilii Ficini quædam excerpere. Ita vero Ficinus: „Sapientiam Pythagoræ „magis in contemplando, (falſum hoc eſſe docet Schefferi liber de Philoſophia Italica) „Socratis vero in agendo; Platonis pariter in „contemplando & agendo conſiſtere. (falſum & hoc, cum tota philoſophia Platonica ſit „inanis ſpeculatio) Quamobrem decem „illos libros Pythagoricos magis eſſe, atque „Socraticos: (nota contradictionem: Nam ſi Pythagorici ſunt, non ſunt Socratici, per dicta: ſi Socratici, non erunt Pythagorici: ſi de utroque participant, non different a Platonicis:) „Præſentes vero leges magis Platonicas „judicari. Illam Rempublicam voventis „fuiſſe & optantis, diſpoſitionem librorum de „Legibus eſſe eligentis, ut qui in arduum illud „adſcendere nequeant, ad hos ſaltem clementiores colles non dedignentur accedere. Hic „ergo non cogere Platonem homines, ſi noluerint inter ſe facere cuncta communia, ſed „permittere, ut fieri ſolet, ſingulos propria „poſſidere: (acceptamus hic confeſſionem Ficini, quod idea Platonis de Republica ſit Phantaſma merum & ſomnium, quod non poteſt in effectum deduci.) „Latere Platonem ſub perſo-

„na

„na Hoſpitis Athenienſis, & ſuas leges a tribus „optimis Legumlatoribus accipere, Minoe, „Lycurgo, Solone, adimendo, addendo, mu-„tando, inveniendo, atque ita optimam ex „cunctis componere formam, (qualis videlicet eſt forma Reipublicæ mixtæ Ariſtotelico-„rum & Corporis Juris Juſtinianei) excogitaſ-„ſe Platonem ſingulis Legibus prœmia exhor-„tatoria, (quo nihil ſtultius eſſe recte notavit „Seneca) tum poſt multa etiam minas addere, „& pœnas. In libro primo, quia leges a Deo „hominibus inſpirentur, & Minos ſuas leges „ad Jovem, Lycurgus ad Apollinem, Solon ad „Minervam retulerit, hinc multa ſubtiliter „(i. e. inutiliter) diſputare Platonem de cle-„mentia, potentia, ſapientia, adumbratis in „Jove, Apolline, Minerva, tanquam quæ per-„fectionem omnium legum contineant: (en ſuavem ſed ſtultam interpretationem myſti-„cam) Tum docere: Legum finem eſſe divi-„num cultum, ſed Jovis, i. e. clementiæ, non „Martis i. e. violentiæ, unde emendare Pla-„tonem Leges Minois & Lycurgi, quod non „tam ad virtutem ipſam reſpexerint, quam ad „bellicam declinaverint: (Hæc meditatio fere unica bona eſt & utilis in toto libro primo) „Pergere poſtea Platonem ad officium Legum „conditoris, & dicere, quod ejus totum ſtu-

„dium

„dium verſari debeat circa voluptates & dolo„res, (agnoſcis commune Legum vitium extirpare intendentium voluptatem relicta „avaritia & ambitione) & inſtituendam recte „diſciplinam juventutis. Hac occaſione dif„fundere ſe Platonem in diſcurſum de natura „hominis, quam doceat eſſe miraculum divi„num a providentia divina ſic inſtitutum, ut „ratione poſſit coercere cupiditates: (habes fontem totius Ethniciſmi & primum falſum omnis philoſophiæ erroneæ.) „Tum de Mu„ſica ejusque in Republica uſu quædam diſſe„rere, item de conviviis & vino & vitanda „ebrietate, deque conviviorum ac meri uſu „ad cognoſcendos mores & impudentiam: „item de decoro & pudore ejusque in Repu„blica neceſſitate &c. (Habes ſic ſpecimen amethodias Platonicæ, & quod inſtar ebrii modo huc, modo illuc vacillet.)

§. 9. Sufficiant ſpeciminis loco, ut ex ungue leonem agnoſcere poſſis, h. e. ex argumento libri primi de Legibus Platonem, hominem in diſſerendo tædioſiſſimum, & nullius ordinis tenacem, adeoque ad ordinem in Republica per leges conſtituendum ineptiſſimum, uno verbo, hominem nugaciſſimum & nihil minus merentem, quam nomen pruden-

dentis Legiſlatoris, cum ne quidem nomen Philoſophi mereatur, ita inter omnes philoſophos gentiles ipſe omnium maxime ineptit.

§. 10. Quodſi quæras, cur tamen ejus ſcripta hodienum, apud nos etiam tanti fiant? Reſpondeo 1) de guſtibus non eſſe diſputandum, & ſimiles ſemper quærere labra lactucas. 2) Totum fere Chriſtianiſmum poſt Apoſtolorum tempora Platoniſmo fuiſſe infectum. 3) Commendationem Platonis & Platonicæ Philoſophiæ a Patribus Eccleſiæ (ut Auguſtino) factam occæcare & noſtros: Alia infinita ut jam taceam.

Dicenda hic quædam de Xenophontis Cyropædia. vide Hertium de Prudentia civili part. II. p. 30.

§. 11. Quid jam de Simia Platonis Cicerone, & ejus libris de Legibus dicemus? Multa quidem ſe offerunt, ſed inſtituti ratio non patitur. Sufficiant iſta: 1) Non eſt Diſcipulus ſupra Magiſtrum. Cicero etſi Eclecticus, maximam tamen partem Platonicus, eſt ſeu Academicus. 2) Legiſlator ante omnia debet eſſe vir bonus & prudens. Qualis Cicero fuerit, rumpantur licet Ciceroniani, docet *Dio Caſſius lib.*

38.p.m.66. 3) Iidem nævi in Dialogis Ciceronis notandi, quos obſervavimus in Dialogis Platonis. de Cicerone idem Hertius p. 31. 4) Intendit Cicero in iſtis libris canoniſare, ut ita loquar, antiquas leges & inſtituta Romanorum, tanquam perfectisſimæ Reipublicæ ideam, quod ſat eſt ad percipiendum ſtultitiam hominis. vid. Cap. 9. §. 28. ſeq. Diſput. de Judic. Morum §. penult. 5) Ipſe agnovit, Rempublicam, quam formare voluit, eſſe mere phantaſticam, nec poſſe introduci, (vid. locum in Diſput. de Judicio & Cenſura morum cap. ult. §. 7.)

§. 12. De ſimia alio Platonis, Thoma Campanella, non neceſſe eſt, ut multa dicam, cum nullum invenerit admiratorem, ut Plato ipſe & Cicero. Et legi ſaltem poteſt ejus inventum, quod Civitatem ſolis inſcripſit. Hæc enim talia legendo refutantur. Nam quis non ſtatim ſentit commotionem in ſtomacho animæ, ſi ſaltem conſideret, quod Metaphyſicus in illa civitate Rex eſſe debeat? Quodque coitus cum fœminis alias communibus debeat fieri ſecundum Leges Aſtronomicas. Etſi non ſit diffitendum, multa in hoc etiam libro contineri, quæ docent imperfectionem noſtrarum Rerumpublicarum. Nullus enim

liber

liber tam ineptus eſt, qui non habeat boni quippiam. Et in genere hi & ſimiles ſcriptores proſunt ad cognoſcendos noſtros defectus, etſi parum veroſimilia habeant quoad emendationem eorum.

§. 13. Unde non carpendi ſed laudandi potius ſunt, qui ejusmodi fabulas de perfectis Rebuspublicis contexuerunt ea intentione, ut tanquam aliud agendo communes errores, qui in academiis communiter inculcabantur juventuti, de perfectione noſtrarum Rerumpublicarum ex principiis falſæ politicæ, ſenſibiliter & quaſi per imagines refutarent, cum id tum quidem non liceret facere directe, quia partim a Philoſophis, partim a Theologis & JCtis, iſti errores tanquam articuli fidei defendebantur & diſſentientes tantum non pro hæreticis peſtilentiſſimis & morte puniendis, traducebantur.

§. 14. Sunt vero ex illis erroribus præcipui, doctrinæ de origine Dominii & de turpitudine Communionis, de neceſſitate Commerciorum, & infinitorum ſtatuum humanorum in Republica directo ad irritandas voluptates, ambitiones & avaritias facien-

tium; de præſtantia Nobilitatis a parentibus in libros per generationem propagatæ, & qui ſunt ſimiles. Hos ergo cum multi viri prudentes ſatis cognoſcerent & juſta diſputatione aggredi periculoſum eſſet, aggreſſi ſunt per ſatyras.

§. 15. Qua in re mirandum eſt ingenium Thomæ Mori, qui jam in nondum adulta juventute, paulo ante Lutheri Reformationem elegantiſſimam ſabulam ſcripſit, ſub titulo Utopiæ, ubi vel ſolus titulus, & ea, quæ in fine Opuſculi cautionis loco tradit, item quæ paſſim contra doctrinas & mores receptos in Deſcriptione Utopenſium diſputat, oſtendunt, quod non putaverit poſſibile eſſe, ut tales homines & talis Reſpublica exiſtant, ſed optandum ſaltem eſſe, ut cives in Rebuspublicis Chriſtianis præjudiciis iſtis vanarum opinionum de felicitate Rerumpublicarum noſtrarum liberentur. Quin imo integer liber primus, quem procemii quaſi loco præmiſit, docet, quod quaſi aliud agendo voluerit aliquot nævos Reipublicæ Anglicanæ notare.

§. 16. Uti vero laus primæ inventionis ea in re debetur Thomæ Moro, ita non diffi-

tendum, eum in veroſimilitudine & connexione circumſtantiarum ſuperatum fuiſſe ab Autore, quisquis eſt, Hiſtoriæ Sevarambes, qui ita palpabiliter felicitatem Reipublicæ alicujus depingit, ita veroſimiliter connectit, ut nihil in vero ſimilitudine deficiat, quam quod genuinus ſcrutator naturæ humanæ facile cognoſcat, ob corruptam naturam humani generis impoſſibile eſſe, ut talis reſpublica exiſtere poſſit, etiam inter Chriſtianos. Unde emendationem merentur ea, quæ de poſſibilitate exiſtentiæ talis reipubl. inſperſi relationi meæ prolixiori de hoc libro in cogitationibus menſtruis de anno 1689. p. 957. ſq. & quidem in §. 6. p. 961. 962. Reliqua Diſcurſus illius cum prolixius doceant contenta libelli eumque contra Morhofium & D. A. Pfeifferum Atheiſmi illum inculpantes, defendant, huc ſunt repetenda. Id ſaltem addo: ante hunc autorem ingenioſisſimum Baconem de Verulamio poſt Morum tentaſſe, dare ideam perfectæ reipublicæ in libello, cui titulus: nova Atlantis; eumque præ oculis habuiſſe Thomæ Mori Utopiam, ejusque inventionem imitari ſtuduiſſe patet ex iis quæ leguntur p. 986. oper. Verulam. nov. edit. in fol. Sed opus hoc ſaltem incœptum eſt, & videtur, ſi quis conferat

ferat auctorem hiſtoriæ Severambes, hic poſterior inventionem Verulamii continuare voluiſſe.

§.17. Eandem fuiſſe laudatiſſimi Theologi Joh. Valentini Andreæ in deſcriptione reipublicæ Chriſtianopolitanæ præfatio eidem præmiſſa ſatis docet in verſic. *Cum eccleſiarum antiſtites nullam Simoniam* &c. Quamvis & præter hanc habuerit aliam intentionem, quam aperit in verſic. *Hujus ſecuritatis chriſtianæ* &c. ſcilicet ut deſcriberet mores proprios. Unde obiter obſervare poteris, & hunc fructum quoque capi poſſe ex lectione reliquorum auctorum ſimilium, etiamſi id non intendant. Omnes enim deſcribunt ideam reipublicæ, qualem optant: optant autem, quæ conformis eſt eorum temperamento. Igitur ex talibus libellis poteris æque cognoſcere deſideria & cupiditates horum auctorum ac medicorum ex libris de diæta, & theologorum ex caſibus conſcientiæ.

§.18. Reſtat, ut exemplum demus auctoris, qui ideas has hactenus memoratas in praxin deducere voluit. De Plotino iam ſupra §. 6. memoravimus. Ante biennium Cordeſius quidam a Verimond edidit eiusmodi

poli-

politiam vere beatam, imo beatiſſimam, quam ſi perlegas, deprehendes, cerebrum eius fuiſſe repletum lectione Utopiæ Mori, hiſtoriæ Severambes & ſimilium. Quamvis in eo ſit infelix, quod nullo iudicio polleat, & ideam quandam fabricaverit minime omnium posſibilem. Sed cum in nuperrimo programmate plura de ea re dixerim, hic ſubſiſto.

§. 19. Sed annon defectibus noſtris ſimplicisſime omnium medicina afferri poſſet, ſi princeps in rempublicam Chriſtianam introduceret leges Moſaicas? Si enim hæ leges ſunt perfectisſimæ, ut hactenus demonſtravimus, ſi per eas Moſes correxit mores Iſraelitarum corruptisſimos in Aegypto; cur non & principes chriſtiani posſint per earum revocationem emendare mores chriſtianorum corruptos? Sane Grotius l. 1. c. 1. de jure b. & pacis hunc putat eſſe uſum legis Moſaicæ, ut liceat principi chriſtiano eum in ſenſum leges ferre, quales reperiuntur in legibus Moſaicis, & inter proteſtantes etiam theologos ac ICtos illa ſententia viget, quod leges Moſaicæ forenſes non omnes ſint abrogatæ, ſed multæ obligent adhuc etiam chriſtianos principes, quod thema fuſisſime

& multis diſtinctionibus adhibitis executus eſt theologus reformatus Wilhelmus Zepperus in explanatione legum moſaicarum, (confer. Oſiandr. ad d. l. Grotii) qui multos ICtos etiam ex noſtratibus ſibi adſtipulantes habet. Et quid notius, quam quod multis theologis & ICtis noſtris pœna ſuſpendii in furto ab antiquis Germanorum moribus ad nos tranlata, male audiat, & ab iis ad legem Moſaicam, diverſam plane pœnam furto imponentem, provocetur.

§. 20. Sed ad iſta quidem facilis eſt reſponſio. Non omne perfectum quadrat ad emendandum imperfectum. Imo regulariter (ad Ethic. de bono ordinario & extraordinario) non eſt bonum conveniens imperfecto. Non omnis medicina ad tollendos omnes morbos eſt apta. Infinitis modis differunt corruptiones morum humanorum, quia ſunt infinitæ. Ipſe Moſes, quam perfectæ etiam fuerint ipſius leges, & quam ſimplices, non potuit tamen iis emendare mores adultorum in Aegypto, etſi quotidie miraculis maxime terribilibus ipſorum reſiſtentiam coerceret. Igitur neceſſe habebat eos per 40. annos in deſerto detinere, donec omnes, excepto Ioſua & Calebo, qui in Aegypto fuerant, moreren-

rerentur. Unde impoſſibilis fuiſſet introductio harum legum, ſi ſtatim Iſraelitæ terram promiſſam occupaſſent, & a moribus gentium vicinarum & recordatione morum Aegypti fuiſſent incitati. Igitur tam impoſſibile moraliter hodie eſt, rempublicam chriſtianam per leges Moſaicas aut Moſaicis ſimiles emendari, quam impoſſibile eſt, ut princeps chriſtianus poſſit populum ſuum in deſertum ducere, ibi demum novas leges publicare, cives omnes eductos ibi tam diu detinere, donec omnes moriantur, & infinita miracula in deſerto facere, quibus teſtetur autoritatem ſuarum legum divinam eſſe.

§. 21. Adde quod plane chriſtianiſmi principiis repugnet, ſi quis princeps vellet introducere legem Moſaicam. Eſt inter leges has ſumma connexio, (uti in omnibus legibus prudentibus eſſe debet) in tantum, ut leges, quæ negotia civilia reſpiciunt, arctiſſimam connexionem habeant cum legibus negotiorum ſacrorum, (confer. Pufendorff. de habitu Relig.) unde leges civiles non poterunt commode ſeparari a legibus cultus Levitici: at leges cultus Levitici velle introducere in Chriſtianiſmum idem eſſet ac velle chriſtianismum abrogare.

§. 22. Nam ſi quis arcana Papiſmi exacte trutinet, deprehendet, quod non infimum inter ea fuerit commendatio legum Moſaicarum quoad cultum Leviticum, puta de ſanctificatione ſabbathi, de decimis, de auctoritate archiſacerdotis & Levitarum, de oblationibus. (nude oblatio per officium miſſæ &c.) Hæc igitur legum Moſaicarum aut ſtatus Moſaici introductione in Chriſtianiſmum, poteſtas principum circa ſacra egregie fuit peſſum data.

§. 23. Unde merum Papismum ſapiunt illæ reſpublicæ eccleſiaſticæ ideales, quodcunque etiam ſchema præ ſe ferant, emendandi Chriſtianiſmi aut liberandi a papatu, quæ a multis viris alias eruditis, & auctoritate pollentibus fuerunt delineatæ, quia omnes ſtatum in ſtatu formant, & poteſtatem eccleſiaſticam poteſtati civili opponunt. Huc pertinent Marci Antonii de Dominis volumen de republica eccleſiaſtica: Wilh. Zepperi Tr. de Politia Eccleſiaſtica: Nicolai Vedelii de prudentia veteris eccleſiæ: Tiburtii Rangonis de prudentia eccleſiaſtica: Gisb. Voetii politica eccleſiaſtica, &c. Sed hæc alibi diſcutientur fuſius. Confer interim demonſtrationem Pufendorffii in tr. de habitu religionis ad rempublicam, quod in eccleſia

non

non ſit ſtatus, nec monarchicus, nec ariſtocraticus &c. ſed quod eccleſia ſit collegium in ſtatu.

§. 24. Sed demus, leges ceremoniales & omnes quæ cultum Leviticum reſpiciunt, in legibus Moſaicis poſſe commode ſeparari a legibus forenſibus; ita tamen inter ſe etiam hæ leges connexionem habent, ut una absque altera, aut certe absque moribus & ſtatu reliquo reipublicæ Moſaicæ non poſſit introduci. v. gr. Nulla erant irritamenta luxus in ea, nullæ popinæ, nullæ cellæ, nulla lupanaria, nullum otium, nulla mendicitas. Hinc ſufficiebat furto pœna capitali minor.

§. 25. Quodſi igitur velis ſaltem unam & alteram legem Moſaicam introducere, non adaptato toto ſtatu reipublicæ emendandæ, ad ſtatum reipublicæ Iudaicæ idem eſſet, ac ſi velis ægroto unam partem medicinæ dare, non obſervata diæta, quam medicus ad operationem medicinæ procurandam præſcripſit: v. gr. ſi pœnam furti non capitalem velles introducere retentis irritamentis luxus, & qui inde propullulant, hominibus otioſis & mendicis &c.

§. 26. Non autem poterit princeps chriſtia-

ſtianus, quicunque ſit, introducere abſque peſſundatione totius ſuæ reipublicæ ſtatum reip. Moſaicæ. Demus, quod v. gr. velit princeps ejicere omnes ſtatus luxurioſos & luxuriam, otium & mendicitatem promoventes: quot millia hominum peribunt? hoc crudele foret. Aut ex Republ. abibunt? hoc rempubl. enervaret. Aut tumultum cum ſucceſſu (tanquam potior reipublicæ pars, & quos deſperatio faciet audaces) excitabunt? Hoc rempublicam majori malo afficiet, quam tolerantia corruptionis præſentis. Imo quid fiet de luxuria, otio, & mendicitate eruditorum? &c.

§. 27. Quare non obſtat ſententia Grotii. Recte dicit, licere principi chriſtiano leges ferre in ſenſum legum Moſaicarum, quia præceſſerat, quod leges Moſaicæ nihil diſpoſuerint adverſum juri naturæ. Sed uti non omne quod licet, honeſtum eſt, ita multa licent, quæ monente prudentiſſime Apoſtolo, non expediunt.

§. 28. Quod vero Theologi quidam ex proteſtantibus defendere voluerint, leges Moſaicas forenſes non eſſe abrogatas, factum fuit ad ſtabiliendas reliquias Papiſmi, quæ in

noſtris

noſtris eccleſiis remanſerunt, & ad firmandam ſuam auctoritatem papalem. Et ſi quis vel ſolius Zepperi tractatum de legibus Moſaicis conſideret, deprehendet, omnes ejus diſtinctiones legum forenſium petere principium, & non fuiſſe efformatas ex natura rei, ſed effictas ad ſalvandam hypotheſin. Vt taceam, idem dici poſſe contra illas diſtinctiones quod ſupra diſputavimus contra diſtinctionem legis Moſaicæ in moralem, ceremonialem & forenſem.

§. 29. Porro, quod multi ICti ex noſtratibus cœce ſequantur tradita ejusmodi, ideo fit, quod pauciſſimi ICti inſtructi ſint doctrina veræ politices & ultra leges Iuſtinianeas nihil ſapiant, & quod adſueti ſint tractatus ſuos exſcribere ex mille aliis & conſarcinare centones male cohærentes.

§. 30. Tales ſunt omnes illi, qui diſputant contra juſtitiam ſuſpendii furum, ut vel inde patet, quando ulterius differunt, quaſi non ſit proportio inter ſuſpendium & delictum i. e. nummos ablatos, quaſi nummi ſint delictum. Accedunt ſtulta & intempeſtiva miſericordia, aliaque vitia intellectus & voluntatis, quibus plerumque emi-

nent

Digitized by Google

nent tales pſeudo-doctores, ut etiam a cœcis palpari poſſint.

§. 31. Tandem tanquam remedium utile & proficuum ad emendandos mores commendatur a pluribus cenſura morum & officium cenſorum introducendum in reſpublicas chriſtianorum exemplo cenſorum apud Romanos. Sed cum hujus ſententiæ inſufficientiam non ita pridem peculiari diſſertatione de judicio ſeu cenſura moram oſtenderim apertiſſime, & ſimul cenſuram Romanorum diſtincte examinaverim, nolo hic actum agere.

§. 32. Si vero fundamenta ibidem poſita probe teneas, facile patebit, quam abſurda conſilia det Octavius Piſanus Italus in ſuo Lycurgo Italico, dum p. m. 57. ſq. edit. Germ. in 12. etiam judicium morum in ſua reipubl. emendatione jubet inſtitui, & quam obſcura, male cohærentia & contradictoria ibi; & imo in toto illo libello, proponat, etſi ejus intentio fuerit, præſcribere leges & ordinationes, ſecundum quas celerrime & ſine advocatis, procuratoribus, proceſſibus, conſiliis & interlocutionibus, ſine latinis tricis

cis & omnibus aliis libris iuſtitia in republica adminiſtrari poſſit.

§. 33. Uti vero auctor ingenium Italicum & ſubtile nequaquam ibi adhibuit, ita non defuit tamen alius quidam ex Germanis Hermannus Hoffmannus, Conſiliarius Baruthinus, qui ſub titulo Lycurgi Germanorum moribus informati excerpta ex Piſani dicto tractatu propoſuit, & perpetuis ſcholiis illuſtravit, minori adhuc judicio quam Piſanus, imo plane nullo. Eſt enim hic liber inter eos, qui de emendatione legum & reipublicæ ſcripſerunt, quos ego quidem vidi, miſerrimus.

§. 34. Meretur etiam multis nominibus cenſuram libellus ante annum publicatus Roterodami, cui titulus: *relation des ſocietez etablies en Angleterre et en Irlande pour la reformation des moeurs.* Dico libellus. Nam non taxamus, quod pœna coerceantur in Anglia ſeveriori blaſphemi, ebrii, profanatores diei dominicæ, quin potius id laudamus: ſed quod in ipſo libello multa afferantur impertinentia, inter quæ potiſſimum eſt, quod autor commendet hoc inſtitutum tanquam remedium quaſi univerſale ad emen-
dan-

dandos mores reipublicæ corruptos; nam neque hoc remedium ad id eſſe ſufficiens facillime poſſet oſtendi, ſi non jam cuilibet inſtructo fundamentis in dicta diſputatione noſtra poſitis, id in oculos incurreret. Multi ſunt homines in republica maxime noxii, qui nec inebriantur, nec blaſphemant, nec diem dominicam profanant. Hi augmenta capiunt per ejusmodi inſtituta, dum eorum vitia negliguntur, & fere canoniſantur tanquam virtutes.

§. 35. Ex iisdem fundamentis corruit etiam *cenſura morum*, quam Clerus in papatu ſub titulo diſciplinæ eccleſiaſticæ ſibi vindicavit, & quæ non minimum fulcrum papatus & ruina poteſtatis civilis fuit. Eam nullo fundamento in Scriptura ſacra niti oſtendimus fuſius in triplicibus vindiciis juris majeſtatici circa ſacra.

§. 36. Dum iſta vero ſcriberemus & doceremus, nondum videramus libellum rarum, ſed omnibus, veritatem amantibus commendandum, quem jam Calvini tempore Thomas Eraſtus, Medicus Heidelbergenſis edidit, ſcilicet explicationem graviſſimæ quæſtionis, utrum excommunicatio quatenus

religionem intelligentes & amplectentes a ſacramentorum uſu propter admiſſum facinus arcet, mandato nitatur divino, an excogitata ſit ab hominibus? quam primo per modum theſium paucarum publicavit, poſtea vero adverſus objectiones Bezæ prolixius defendit, ita ut Beza, quod opponeret, non haberet. Adjecta etiam eſt approbatio multorum theologorum Helveticorum.

Cap. XII.

Regulæ prudentiæ legislatoriæ.

§. 1. Iam tempus erit tradere regulas prudentiæ legislatoriæ. Videndum autem primo, quid ſit prudentia legislatoria.

§. 2. Prudentia legislatoria eſt prudentia emendandi mores corruptos civium in Republica viventium per leges ſalutares.

§. 3. Dico: emendandi mores corruptos,

non, præcavendi ne corrumpantur. Non enim datur caſus, ubi mores civium iam bene ſe habeant, quia omnium hominum mores ſunt corrupti, & princeps etiam, ſi novam condat civitatem, reperit tamen in ſuis civibus corruptionem morum, exemplo Moſis & Romuli.

§. 4. Quia vero prudentiæ in genere nulla dari poſſunt præcepta & regulæ, ita nec legislatoriæ, ſed ſaltem obſervationes quædam & cautelæ utiles erunt ad evitandos errores communes. conf. ſupra cap. 3. n. 13. & 17. & cap. 4.

§. 5. Initio omnes cautelæ obſervandæ hic erunt, quas dicto cap. IV. docuimus eſſe adhibendas in prudentia conſultatoria.

§. 6 In ſpecie vero princeps obſervabit: plus valere bonos mores, quam bonas leges. vid. Diſp. de Colliſ. morum cum jure ſcri-

ſcripto, & Tacitus de moribus Germanorum.

§. 7. Ad bonos vero mores introducendos plus valet exemplum principis abſque legibus, quam mille leges abſque exemplo.

§. 8. Porro plus valent leges non ſcriptæ, quam ſcriptæ, per rationes in dicta Diſſert. poſitas. Per leges non ſcriptas intelligo inſtituta varia publice propoſita viva voce, & re ipſa confirmata de inſtitutione iuventutis, & aliis ad ordinationem civitatis facientibus.

§. 9. Quo pauciores ſunt leges ſcriptæ, & quo generaliores ac ſimpliciores, eo meliores ſunt. Diſſentiunt communiter noſtri Leguleji. Quo plures leges, eo plures disputationes: docet id experientia. Quo plures concluſiones, eo plures cavillationes. Non poſſunt leges ſic determinari,

etſi infinitas ſcribas, ut non infinita relinquenda ſint arbitrio judicis.

§. 10. Stultum eſt, leges habere non in eo idiomate, quod intelligit populus.

§. 11. Stultum eſt habere leges peregrinas. vid. lib. I. Næv. Iurisprud. antejuſtinianeæ.

§. 12. Stultum eſt, habere leges contradicentes.

§. 13. Lex debet carere proœmio & diſputatione.

§. 14. Lex debet eſſe brevis & perſpicua. Quo plura verba, ea major obſcuritas & cavillatio.

§. 15. Lex debet coercere pœnis actus injuſtos, notare infamia actus inhoneſtos, pœna nullitatis afficere actus indecoros. Ita tamen, ut ubique, maxime vero in poſterioribus duabus claſſibus, memor ſit imbecillitatis huma-

manæ, & quod multa ſint relinquenda cujuslibet pudori, quodque multæ virtutes dignitatem amittant coactione.

§. 16. Vitia nimis radicata, quæ absque inſigni turbatione quietis publicæ tolli nequeunt, diſſimulanda ſunt, & exemplo bono impugnanda, magis, quam legibus, aut per indirectum impoſitione oneris, conceſſione privilegiorum &c.

§. 17. Fruſtra ſunt leges, quæ concluſiones vitiorum coercent, non tollunt radices, v. gr. quosdam veſtitus, quosdam cibos &c.

§. 18. Fruſtra ſunt leges, quæ tollunt concluſiones juris incerti ſalvis fontibus, unde incertitudo oritur v. gr. Quæſtiones teſtamentarias ſalvis teſtamentis.

§. 19. Legum objectum ſunt actus ad ſocietatem humanam pertinentes, & falſum, quod princeps ſit cuſtos primæ tabulæ.

§. 20. Quamdiu in legibus ferendis in conſilium adhibentur viri non prudentes, ſed eruditi, maxime vero principiis cleri papizantis imbuti, tamdiu nullæ prudentes leges ſunt ſperandæ.

§. 21. Solennitates & cæremoniæ, actuum tam civilium quam ſacrorum, magis minuendæ quam augendæ. Pariunt enim ſolennitates actuum civilium v. gr. contractuum, teſtamentorum, proceſſus &c. inutilem juris ſubtilitatem & ſummam juris incertitudinem, ceremoniæ vero ſacræ ſuperſtitionem, faſtum phariſaicum & contemtum virorum virtuoſorum. conf. §. 15.

§. 22. Caveat princeps, ne leges ferat, quarum pœnas non poteſt executioni dare. Tales nimirum pariunt contemtum, & augent libidinem peccandi. confer. §. 16.

(o)

ANT 1318007

Digitized by Google

2.ª 10.ª

Digitized by Google